DISPUTATIO XXII.

An duplici ad eamdem rem dispensatione impetrata, posterior subreptitia censeatur, nisi prioris mentionem faciat?

SUMMARIUM.

An quando non additur dispensatio, sed est executio prioris, sit opus mentione prioris, num. 1.
Quid quando posterior dispensatio additur priori. Refertur opinio affirmans, 2.
Proponuntur probantia non opus esse mentionem prioris faceré, 3.
Sola dispensationis natura attenta non est ea mentio necessaria, sed in quantum colligitur velle Principem, ut ea mentio fiat, 4.
Non est necessaria mentio, quando non est aliqua contrarietas inter utramque, 5.
Quid, si prior cum moderatione fuit concessa, & posterior absque illa, 6.
Quid, si utraque ab inferiori concessa sit, 7.
Quid, si in posteriori est clausula, motu proprio, & ex certa scientia, 8.
Quid, si utraque dispensatio ab eodemmet petita sit, 9.
Quid, si concedens posteriorem absque limitatione, norit ex stylo Curiæ solere apponi limitationem, 10.
Quid, si quis impetret dispensationem voti castitatis cum limitationibus ex stylo Curiæ apponi solitis, & postea aliam absolutam, tacita priori, 11.
Quid, si posterior ex nova causa sufficienti impetretur, 12.
Quid, si impetrans dispensationem ad nubendum consanguineo, ei non nubens, vel facta jam vidua impetret aliam ad nubendum alii consanguineo, non facta prioris mentione, 13.
Quid, si petita dispensatio denegetur, & tacita denegatione impetretur, 14.
Quid, si orto dubio aut scrupulo circa valorem prioris dispensationis limitata, impetretur alia amplior, tacita priori: an neutra valeat, 15.
Quid, si posterior sit limitatior, an fas sit discussio prioris dubio illa uti, 16.
Quid, si posterior non impetrata sit ad confirmandam priorem, sed ad illam, quæ limitatior erat augendam, an utraque tacita priori corruat. Refertur quædam sent. 17.
Proponitur sententia Authoris, 18.
An impetrans dispensationem ad ducendam consanguineam, & nolens ducere, obtinuit dispensationem ad ducendam aliam, possit hac posteriori non ducta, vel jam viduus effectus, uti priori dispensatione, 19.
An si impedimentum matrimonii ex eodem vel diversi generis crimine consurgat, & impetrata sit semel dispensatio, sit posterior subreptitia, non faciens prioris mentionem, 20.
An prioris dispensationis irritæ sit necessaria mentio in posteriori, 21.
Quid, si ab eodem utraque impetretur, & prior sit limitatior, 22.
An hæc posterior in totum corruat, an quoad solum prioris excessum, 23.
Solvuntur argumenta, 24.

IN hac disp. non est mentis nostræ tractare de rescriptis justitiæ quando scilicet, altera pars impetrat rescriptum, non faciens mentionem prioris a se vel ab adversaria parte impetrati. Nec etiam an posterius privilegium non faciens mentionem prioris, illi deroget, quando prius est alteri concessum. Sed de his consulendi sunt *DD. cap. 1. & c. Ceterum, de rescr.* Sed de solis dispensationibus agimus, quando posterior subreptitia censeatur, eo quod prioris mentio facta non sit. De qua re nimis breviter, & valde confuse tractant DD. & ideo difficilis est resolutio. Constat autem inter omnes, quando dispensatio non additur dispensationi, sed est executio dispensationis jam factæ, non esse opus prioris dispensationis mentione. Ut si cum homicida dispensatum sit ad beneficium obtinendum, non tenetur dum postea beneficium impetrat, defectus illius aut dispensationis mentionem facere. Quod jam in illo dispensatum fecum sit, nec nunc dispensationem aliquam impetret, sed priorem exequatur recipiens beneficium. Sic contra aliquos quos tacito nomine ibi refert, tenent *Jo. Andr. c. 2. n. 1. de filiis presbyt. in 6. & ibi Anch. n. unic. not. 3. Domin. n. 7. Franc. n. 5. Abbas cap. penult. n. 14. de rescript. Rebuffus praxi benefic. tit. dispensationibus, in fin. & in concordatis, in forma mandati Apostolici, super verb. Dispensationem.*

Difficultas autem est; quoties nova dispensatio priori additur, an ut posterior valeat, sit necessario prioris eidem concessæ mentio facienda? Et quidem communiter DD. id affirmant. Ducuntur potissimum ex *cap. 2. de filiis presb. in 6.* ubi decidituf subreptitiam fore dispensationem a Sede Apost. impetratam, ut illegitimus obtineat plura beneficia, si prius ad unum dispensatum secum sit, ne in posteriori dispensatione, mentionem illius defectus faciat. Et redditur ibi ratio, quod Pontificem prioris dispensationis conscium non concessurum posteriorem, sit verisimile. Secundo, idem probant ex *cap. penult. de præscr.* ubi judicatur subreptitium privilegium recipiendi Sacramenta a quovis Antistite absolute concessum cuidam Abbati, non facta mentione alterius privilegii prius eidem Abbati concessi non ita ample, sed cum moderatione hac, si proprius Antistes ministrare nollet. Tertio, ex *lib. 3. C. de Episcopali audientia*, ibi: *Remissionem veniæ crimina nisi semel commissa non habeant.* Ex quo textu *Guillael. de Cuneo ibi Bald. n. 4. Paulus n. 9.* & innumeri alii, quos referunt, & sequuntur *Tiraq. de pœnis temper. causa 10. n. 4. Covar. lib. 1. variar. c. 20. n. 8. Ant. Gom. tom. 3. variar. c. 3. n. 60. fin. Navarr. lib. 1. conf. in utraque edit. tit. De constit. conf. 1. q. 19. nu. 53. & in extrav. de datis pro justitia vel gratia, not. 32. num. 48. vers. Nec obstat ref. Jul. Clar. lib. 5. recept. in præct. crim. §. fin. q. 59. n. 9. Sarm. l. 1. select. c. 9. n. 2. Menoch. de arbitr. l. 2. cent. 3. cas. 203. n. 32. Padilla l. Transigere, n. 69. C. de transl. Bossus practica, 1. De remediis ex sola clementia Principis, num. 35. Plaz. de delict. c. 45. ad fin. Molin. lib. 2. de primog. c. 4. n. 52. & l. 5. c. 3. n. 43. Rojas sp. success. c. 23. n. 22. Guttier. q. can. l. 2. c. 15. n. 89. Azebedo lib. 8. recop. t. 15. l. 2. n. 14. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 238. n. 5.* inferunt remissionem homicidii cassam fore tacito alio homicidio prius remisso eidem. Idque decidit *l. reg. 2. t. 15. l. 8. novæ recop.* Ergo similiter in 2. dispensatione super eadem re impetrata, oportet primæ mentionem facere, ut valida sit. Atque ideo generaliter, & indistincte loquentes colligunt ex *d. c. 2. de filiis presb. in 6.* in posteriori dispensatione, ut subreptitia non sit, necessario mentionem faciendam esse prioris, *gl. ibi post casus positionem, notab. 1. & ibi Jo. Monach. init. Decius cons. 695. visa don. n. 32. & 33. & cons. 541. n. 22. vers. 4. cogitandum, vol. 3. Paris. cons. 74. num. 56. & 57. vol. 4. Jac. de Puteo dec. 246. nu. 42. & 4. lib. 1 Rebuf. in concord. in forma mand. apostol. super v. Dispensationum, & praxi benef. t. De dispensatione super defectu natalium n. 59. & t. De dispensat. nu. 24.* addens *nu. 25.* non sufficere, si in posteriori dispensatione dicatur, non obstante priori, nisi illius quoque mentio fiat, *Covar. lib. 1. variar. c. 20. num. 8. fin. Mendo de arbitr. l. 2. cent. 3. cas. 201. n. 39. & casu 203. nu. 33. & 34. Molin. lib. 2. de primog. c. 4. n. 51. Meres de major. in 1. edit. 1. q. 7. n. un. col. 2. Guttier. q. can. l. 2. c. 15. n. 91. Enriq. lib. 7. de indulg. c. 17. n. 5.* quamvis addat hoc esse in foro externo. Atque in *d. c. 2. de filiis presb. in 6.* petit ut saltem in eo casu, fiat mentio prioris dispensationis, tradunt *Jo. And ibi num. 2. Abbas cap. penult. n. 17. de præscript. Navar. lib. 4. cons. 1. De consang. in 1. edit. cons. 5. fin. in 1. cons. 8. n. 6. Cov. 4. decr. 2 p. c. 8. §. 7. n. 5. vers. 7. Molin. lib. 4. de primog. c. 3. n. 43.*

Pro parte autem adversa ut non sit opus mentione prioris dispensationis, fortiter urget. Quod *c. 2. de filiis presb. in 6.* qui textus est potissimus, & capitalis contrariæ sententiæ, eam non præbet. Quia in eo non dicitur prioris dispensationis mentionem faciendam, sed solum prioris defectus, eo quod in illo non sit prius plene dispensatum, sed tantum quoad unum beneficium obtinendum. Ut constat ex illis verbis textus, *Dispensationem aliam tacito prædicto defectu postmodum obtinent*, junctis verbis præcedentibus, ibi. *Si is cum quo fuit per Sedem apostol. dispensatum, ut non obstante defectu natalium.* Atque ideo *Domin. ibi n. 7. Franc. n. 2. not. 3.* ajunt in 2. dispensatione addita primæ, non esse opus de prima mentionem facere, sed de primo defectu. Et confir. quia esto textus ille peteret prioris dispensationis mentionem, loquitur in casu speciali, quando scilicet cum illegitimo dispensatur ad duo beneficia, tacita priori ad unicum dispensatione. Nam difficilius utrumque timul, quam utrumvis seorsum concederetur, Ita explicant eum textum *Molin. lib. 4. de primog. c. 3. n. 43. & alter Mol. to. 3. de justit. disp. 650. n. 4.* Secundo, quia *cap. p. n. de præscr.* cui etiam prior sent. innititur illam non probat. Quod is textus loquatur in casu speciali nempe, quando per posterius privilegium derogatur juri proprii Episcopi, cujus est omnia sacramenta suis subditis conferre. Quod jus partim servabatur inviolatum in priori privilegio: utpote quod solum concedebat ab alio recipere, quando proprius ministrare nollet. At posterius absolute concedebat ab alio recipere. Et ita in hoc casu intelligunt eum textum (quamvis non limitent ad eum casum, sed alios fustineant) *Innoc. ibi n. 4. Jo. And. n. 14. Host. n. 7. Ant. n. 20. Bald. n. 10. Card. n. un. vers. in fine, gloss sic patet. Anch. n. 8.* Quare eum textum ad alias dispensationes jure tertii non derogantes trahere dissonat rationi. Tandem quia ultio prioris sent. eam non probat. Quod hic non agatur de alicujus criminis remissione, quæ odiosior est: sed de dispensatione gratiosa in matrim. impedimento, quod absque culpa aliqua contrahitur.

1. Tamen conclusio sit, si solum dispensationis naturam attendamus, non est subreptitia, quod in posteriori mentio non fiat prioris eidem personæ concessæ. Quare si ex hac taciturnitate posterior sit judicanda subreptitia, id ex Principis voluntate deducendum est; eo quod credatur fore ut prioris memor posteriorem denegaret. Prob. quia *cap. 2. de filiis presb. in 6.* cui potissimum sent. n. 2. relata innititur, reddens rationem subreptionis hujus, totam rem hanc in præsumptam voluntatem Principis denegaturi posteriorem conjicit. Et universi DD. pro ea sent eo n. 2. allegati hanc rationem tradunt. 2. quia cum neutra dispensatio ab altera pendeat, & utraque a petente concedere impetrata sit, si utriusque natura præcise consideretur, neutra alterius mentione indiget. 3. quia secluso hac præsumpta Principis voluntate, si vim textuum, & rationes probantium perpendamus, ea non probatur, (ut n. præc. ostendimus) & forte

forte hoc est, quod voluit dicere *Abb. c. pen. n. 13. de præscr.* ubi ait, concesso alio privilegio super separatis, vel super eisdem, non esse necesse prioris dispensationis mentionem tollat, non tamen defectum intentionis supplet (ut diximus disput. præc. n. 52.) At dispensatio hæc corruit ex præsumpto intentionis defectu. Ut dixi n. 4 & 6. Sic *Tello l. 12. Tauri nu. 42.*

Limitatur tamen ab aliquibus hoc, ut verum sit quoties moderamen in priori dispensatione appositum est proprio motu illam concedentis, aut ad instantiam diversæ personæ ab illa cui concessa est, & tunc is cui concessa est, novam sibi dispensationem impetrat absque illa moderatione, ac priori dispensatione tacita, tunc enim hæc est subreptitia. Secus si ipsemet, qui cum moderatione petierat, tunc impetret absque ea. Cum enim hic posset absque moderatione petere, nunc per puram petitionem, ei renunciet. Et cum ea non processerit ex proprio Principis motu, non videtur fore ut moderatio prius adhibita eum retraheret a posteriori absoluta concessione. Sic tenet dicens forte esse verum, *Felin. c. penult. n. 2. de rescr.* & idem affirmat *Ruinus cons. 361 n. 33. vol. 2.* Sed merito *citatis Jo. And.* & aliis hanc limitationem reprobat, dicens aberrasse hos authores, *Curtius senior cons. 73. n. 9. & 17. Tello l. 12. Tauri, n. 42.* Quia qualitercumque semel cum limitatione gratiam concesserit Princeps, non est credendum eum ita facile prioris dispensationis tenorem mutarum.

Secunda limitatur, nisi concedens posteriorem gratiam absque dicta moderatione nosset prioris limitationem. Quia semper solet apponi, de curiæ stylo: Quod tunc nequeat contraria voluntas conjici, cui subreptio ex tali taciturnitate innititur. Sic *Fel. c. penult. n. 2. de præscript.*

Hinc fit si quis voti castitatis dispensationem impetret cum limitationibus solitis apponi. De stylo curiæ, nempe, ad unicum matr. & commutatione facta in menstruas confessiones, ac alia pietatis opera, si postea tacita hac impetret aliam absolutam, fore hanc posteriorem validam. Quia cum ea limitatio de stylo curiæ soleat apponi, non latet Pontificem. Et quamvis singularis dispensationis huic personæ concessæ immemor sit, ac prædictæ moderationis in ea appositæ, cum tamen soleat de stylo curiæ apponi, nec Pontifex apponat, signum apertum est voluntatis concedentis absolute.

Tertio limitarem, nisi ex nova causa, eaque sufficienti, posterior dispensatio peteretur. Quia cum tunc nova sufficiensque causa concurrat, nulla fraus Principi fit, tacita prioris dispensationis moderatione. Nec contraria ejus voluntas juste præsumi potest. Quod tenent etiam in fortioribus terminis, nempe, quando est præjudicium successorum in majoratu, *Molina l. 4. de primog. c. 3. n. 42. Gutt. q. can. l. 2. c. 15. n. 95.* dicentes subreptitiam esse posteriorem alienandi hypothecandive bona majoratus licentiam, non facta prioris ad id concessæ mentione, nisi ex nova sufficientique causa posterior licentia impetretur. Quod idem asserit alter *Molina t. 3. de just. disp. 650. n. 4.* bene limitans, quando arbitrio prudentis spectatis circumstantiis occurrentibus judicatur fore, ut ex ea secunda causa Princeps concederet licentiam prioris memor. Secus si merito timeretur cum denegaturum. Sic ergo in nostro casu, quando talis est causa de novo superveniens: ut jure optimo præsumatur Principem posteriorem gratiam absque moderatione concessurum, non obstauti prioris moderationis scientia, valebit posterior dispensatio absoluta. Secus ubi id non præsumitur.

Hinc fit, si femina ex dispensatione Papæ consanguineo nubat, & eo matrim. soluto aliam dispensationem obtineat ad nubendum alii consanguineo, tacita priori validam fore hanc dispensationem. Quia si manet idem dotis defectus, qui causam præbuit priori dispensationi, reputatur nova causa respectu posterioris dispensationis. Item quia cum animus Pontificis sit, in simili dispensatione consulere paupertati feminæ, credi nequit ejus animum a concedenda posteriori retardandum, quod priorem concessisset. Imo idem credo, quamvis hæc posterior aut utraque dispensatio esset petita ac concessa nulla allegata causa, sed majori compositione pecuniaria exacta ad usus publicos. Et idem dico, licet femina resilire nolens priori consanguineo nubere, ac impetret posteriorem dispensationem ad nubendum alii. Credo enim in utroque casu non esse necessariam prioris mentionem dispensationis. Quod sint super diversis matr. & neutra habeat connexionem cum altera. Et sic non est necessaria prædicta mentio, juxta tradita n. 5. Adde esse dispensationes super diversis, nec priorem augeri per posteriorem. Ut in simili ponderavit *Navarrus in 6. fi. allegatus.*

Tandem infertur, minus verum esse, quod tradit *Menoch. de arbitr. l. 2 centur. 3. casu 203. n. 6.* ubi ait impetrationem legitimationis subreptitiam fore, si semel ea petita, & a Principe denegata, quando postea impetratur, non fiat mentio prioris denegationis. Nec DD. quos pro se refert, id asserunt, sed tantum faciendam esse mentionem prioris dispensationis cum moderatione concessæ, quando posterior est absolute concessa. Nec aliquo jure aut ratione probatur in dispensatione prioris denegationis faciendam esse necessario mentionem.

Difficultas tamen est, an ubi posterior dispensatio subreptitia est, eo quod prioris strictioris non fit mentio facta, neutra valeat deinceps, an sola hæc posterior? Videtur enim neutra valere. Non prior, quia per impetrationem posterioris illi renunciatur. Non posterior, quia est subreptitia. Sed dicendum est, dupli-

dupliciter posse peti hanc posteriorem dispensationem, 1. modo, ad prioris corroborationem, eo quod scrupulos aut dubium de prioris valore urgeret, 2. modo, ad priorem, quæ limitata erat, augendam. Et quidem quando primo modo est petita, constat inter DD. solam posteriorem corruere, priori in suo valore perseverante. Quod nec impetrantis, nec concedentis intentio fuerit derogare juri quæsito per priorem dispensationem: & tantum abfuit ut impetrans intenderit priori renunciare, ut potius eam confirmare intenderit. Et sic docent ciare, ut potius eam confirmare intenderit. Et sic docent *Innoc. cap. penult. n. 5. de rescript. & ibi Host. n. 12. init. Jo. Andr. num. 16. Bald. num. 13. Bellam. num. 6.*

16 Hinc deducitur quid dicendum sit in hac quæstione, quidam impetravit dispensationem, & ob aliquos scrupulos sibi objectos impetravit aliam, quæ concessa est sibi cum aliquibus moderationibus: dubitatum est an postea certior factus de valore dispensationis prius impetratæ, possit ea uti? Quidam jurisperitus Romanus id negavit. Ductus est, quod per posterioris gratiæ impetrationem visus sit nolle priori uti. Atque gratia semel repudiata non potest amplius acceptari. Sed ex dictis nu. præc. constat integrum ei esse uti priori gratia. Quod ei non visus sit renunciare: utpote, qui posteriorem ad prioris confirmationem impetravit. Et si noluit priori uti, non fuit ea voluntas absoluta, sed ex errore processit, & suppositio prioris vitio.

17 Quando autem posterior dispensatio amplior non est impetrata ad prioris confirmationem, sed ad illam augendam: quibusdam placet neutrum valere. Non posteriorem, quia est tacita prior strictius concessa. Non priorem, quia per posterioris impetrationem illi tacite renunciatum est. Quippe solus animus ad proprii juris renunciationem sufficit. Unde constat ex *cap. penul. de præscr.* ubi decidit ur impetrantem privilegium præscriptioni adversum, videri renunciare juri præscriptionis. Et addit textus hæc verba: *Præsertim cum coram nobis privilegio sit usus*. Dictio enim, Præsertim, denotat idem esse in casu contrario. Ut notatur *c. Auditis, de elect. & c. Quoniam frequenter, ut lite non contest.* Atque ita docent *Innoc. c. v. penult. n. 5. Host. n. 11. fine, Jo. Andr. 15. Abbas num. 18. 19. 20. Bellam. num. 5.*

18 Sed magis placet valere adhuc priorem dispensationem. Quia cum posterior non valeat, minime derogat priori. Nec animus impetrantis censetur esse renunciandi priori, nisi quatenus posterior valida est, Ut probatur ex *l. Si iure 18. ff. de legat. 3.* ibi: *Sed vix id obtinere potest: fortasse ideo, quod ita demum a priori testamento recedere velit, si posterius validum sit.* Nec obstat *cap. penult. de præscript.* quia ibi est sermo de privilegio validæ præscriptioni contrario. Et ideo hanc sentent, tuetur *ibi Baldus n. 22.*

19 Hinc deducitur, quid dicendum sit quando quispiam dispensatione ducendæ consanguineæ obtenta, noluit eam ducere; sed obtinuit dispensationem ad ducendam aliam: an obtenta hac posteriori, liceat illi priori uti? Credo priorem dispensationem evanuisse per hujus posterioris, si valida fuit, impetrationem: licet ea non sit usus ducendo posteriorem consanguineam. Quam licet per secundum matrimonium, ad quod non interfuit dispensatio, non videatur renunciari dispensationi (ut dicemus disp. 32. n. 6.) at secus credo per impetrationem posterioris dispensationis. Quod constat ex dictis duplici n. præc. & DD. ibi allegatis. Præterea, quia cum dispensationes hæ simul stare nequeant, sed repugnent quoad executionem, per impetrationem posterioris, visus est impetrans renunciare priori in manus Pontificis, a quo posteriorem impetravit. Juxta dicta duplici n. præc. Et ita amplius ea uti nequibit, sed sola posteriori dispensatione, quam non esse subreptitiam, eo quod de priori mentionem non fecerit, diximus n. 13. Tandem, quia esto animus impetrantis fuerit nolle renunciare priori dispensationi, at Pontifex noluit concedere duplicem dispensationem, ut utraque staret, & ad libitum posset utravis uti impetrans. Et si id peteretur, denegaret utique tanquam rationi valde dissonans.

20 II. Conclusio. Si impedimentum matrimonii ex crimine consurgat, ut quod in conjugis necem machinatum sit, vel adulteratum fide matrimonii data, & semel ejus impedimenti dispensationem quis obtinuerit, si dissoluto eo matr. in idem impedimentum inciderit, tenetur in dispensatione posteriori impedimenti facere mentionem prioris dispensationis, ne hæc posterior sit subreptitia. Secus si ex distincto crimine impedimentum consurgat. Ut quia alterum fuit machinationis, alterum adulterii cum fide: Prior pars probatur ex dictis n. 2. in 3. ratione, ubi ex multis probavimus iteratam ejusdem criminis remissionem indigere mentione prioris, ne subreptitia sit. Cum ergo in hoc eventu sit iterata criminis matrim. dirimentis remissio, auferendo pœnam illi jure statutam, opus erit prioris dispensationis mentione. Posterior pars probatur, quia quamvis ubi diversæ speciei sunt crimina, ut alterum furti, alterum homicidii, nonnulli censeant superfluendum esse judici, donec Principem consulat, si in posterioris remissione taceatur prioris remissio. Hi sunt aliqui, quos refert & sequitur *Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 3. cas. 203. n. 12.* Alii autem censeant posterioris remissionem esse subreptitiam. Sic *Avendanno tract. de injuria, n. 3. Azebedo lib. 4. recop. t. 14. l. 5. n. 3.* At verius est non esse necessariam eam mentionem. Quod *lex 3. C. de Episcop. aud.* dum decidit crimen semel remittendum, manifeste loquatur de eodem crimine repetito. Ut bene docent *Navar. lib. 1. conf. in utraque edit. tit. De constit. conf. 1. q. 19. n. 53. Covar. lib. 1. variar. c. 20. n. 3. Bossius tract. tit. de remediis ex sola clementia Principis, n. 95. Padilla, l. Transigere, n. 67) C. de transact. Gutt. q. can. l. 2. c. 15. n. 89.* Cum igitur in hoc casu diversa sint crimina, in posteriori dispensatione circa alterum, non erit necessario mentio facienda dispensationis in altero concessæ. Imo quando esset ejusdem criminis repetitio, ac prioris dispensationis usus non extiterit, quia id matrim. initum non est: credo in posterioris criminis dispensatione non opus esse prioris mentione. Quia cum prior ad effectum perfecta non sit, perinde est ac si crimen ejus remissum non foret.

Ultima conclusio. Quando prior dispensatio priusve privilegium sunt irrita, non est necessaria illorum mentio in posteriori. Quia cum illa nullius valoris sint, perinde videtur ac si impetrata non essent. Nec enim præstat impedimentum, quod de jure non fortitur effectum, *reg. Non præstat, de reg. juris in 6.* Quam extendi quoque ad privilegia & gratias, docet ibi *gloss. v. Non præstat, Bellam. decis. 143. n. 5.* Atque ita de litteris irritis loquentes, docent *gloss. c. Suggestum, v. Posterius, de jure patron. & c. Cum nostris, v. De falso de concess. præbend.* Et *c. Extenore, v. Negotio, fine de rescr.* ubi *Abbas n. 6. Felin. n. 2. Decius in nova edit. n. 19. & 1. Oblatæ, nu. 11. notab. ult. de appell. Idem Felin. cap. 1. n. 13. de rescript. Domin. c. Quoniam, col. 4. vers. Super tertio dist. 18. Barbatius cons. 43. n. ult. vol. 3. Noviza, cons. 36, nu. 16. Rebuff. de constit. regiis, tom. 2. in præfat. num. 95. Mascard.* multos allegans *de præben. concl. 846. n. 20. & seq. Flam. de consid. benef. q. 46. n. 28.* Et ob eamdem doctrinam non esse opus mentione clausulæ irritæ alterius rescripti: tradunt *Jason l. 2. n. 1. C. si contra jus, Molin. lib. 4. de primog. c. 3. n. 32. Gratian. reg. 22. n. 12. Alter Molin. to. 3. de justit. disp. 656. n. 2.* Quamvis *Gosfred.* quem refert ac sequitur *D. Anton. 1. p. tit. 20. in reg. Non præstat*, sentiat absque sufficienti fundamento esse necessario mentionem faciendam de priori rescripto irrito. Et *Corduba sum. qu. 45. opin. 2. punct. 1. fine*, agens de dispensatione quadam subreptitia ad matrimonium obtenta, ait eam narrandam necessario Pontifici esse in posteriori dispensatione. Sed hoc non est universaliter verum. Ut constabit ex dicendis num. seq.

Limitant aliqui hanc conclusionem, ut intelligatur quoties prius rescriptum irritum fuit impetratum ab uno ex adversariis & posterius ab altero. Secus quando utrumque ab eodem impetratum est. Tunc enim est narrandum prius. Sic *Menoch. de arbitrar. lib. 2. cas. 30. fine*: ac refert pro se *Domin. consil. 141. n. 2. vers. In contrarium ostenditur*, ubi loquens de litteris gratiæ id asserit. Sed ait *Menoch.* ex ipsius ratione colligi, idem dicendum esse de justitiæ litteris. Et rationem hujus tradit *Dominic.* quia si legitime impetrans priorem gratiam validam, tenetur de illa mentionem facere, a fortiori tenebitur inique impetrans priorem irritam, nè melioris conditionis sit iniquus, quam legitimus impetrator. Contra textum, *cap. Eum qui, de præbend. in 6.* Ex qua ratione colligitur, qualiter limitatio hæc intelligenda sit: nimirum, quando si prius rescriptum validum foret, erat necessaria ipsius mentio in posteriori: quia illud erat cum limitatione, hoc autem absolutum. Et tunc verissimum censeo esse mentionem faciendam prioris gratiæ subreptitiæ, quamvis impetrans nullam in subreptione admiserit culpam. Ne illa impetratio irrita majori gaudeat privilegio, quam valida. Deinde, quia cum Pontifex quantum est ex parte sua, voluerit priorem gratiam valide & limitate concedere, non est credendum fore ut prioris mutet sententiam, concedendo absolute posteriorem. Quæ est ratio ob quam rescripti validi limitati esse in posteriori ampliori mentionem faciendam diximus, n. 6. At quando utraque dispensatio est cum eadem moderatione, cum tunc nulla opus esset mentione prioris validæ, idem quoque dicendum erit, quando prior est irrita. Quia jam cessat ratio tradita. Quare caute *Decius cap. Ex tenore, in nova edition. nu. 15. de rescrip.* limitationem hanc non ita absolute ac *Dominicus* posuit; sed dixit prioris rescripti irriti non esse opus mentione, nisi inde contingeret fore melioris conditionis delinquentem. Unde si nolit impetrans narrare prius rescriptum subreptitium, erat posterius cum eadem moderatione, cum qua prius concessum est.

Sed dubitabis, an dum posterior dispensatio ample concessa est irrita, eo quod tacita sit prior subreptitia limitatior, juxta dicta n. præc. sit hæc posterior in totum cassa, an in ea sola parte, in qua prioris moderamen excedit: Videtur enim ad id valere. Quod ideo subreptione notetur, quia excedit priorem, & in excessu est involuntaria ex parte Pontificis, qui de priori moderatione certior factus illam non concederet cum eo excessu. Ergo quoad illam moderationem est voluntaria & valida. Sed existimo totam posteriorem corruere. Quia cum sit unica dispensatio, ac super unico impedimento, subreptio in illa admissa, tacendo veritatem necessario explicandam, vitiat totam, juxta dicta disp. præc. nu. 18.

Ad arg. n. 2. proposita constat ex dictis. Nam 1. & 2. solum probant quod diximus num. 6. ut ibi ostendimus. Et 3. probat quod fassi fumus, num. 20.

DISPUTATIO XXIII.

An quando plura concurrunt impedimenta, oporteat omnia illa in eadem dispensatione referre, an sat sit in diversis?

SUM-

SUMMARIUM.

Refertur quædam sententia, num. 1.
Explicatur Sententia Authoris, 2.
Quid, si ignoranter non sint narrata omnia in ejusdem litteris, 3.
An ligatus voto castitatis vel religionis, vel non ineundi matrimonii cum consanguinei, si consanguineam ducere velit, teneatur in eadem dispensatione utrumque impedimentum narrare, num. 4. & ibi, quid quando sublato uno impedimento supervenit aliud.
An ligatus voto, & juramento possit in diversis litteris dispensationem petere, 5.
Quid, si ligatus sponsalibus velit aliam propriam consanguineam ducere, num. 6. & ibi, quid, si habeat votum impediens emissum ante pubertatem.
Quid, quando alterum impedimentum est publicum, & alterum occultum, ex cujus manifestatione sequetur infamia, 7.
Quid, si ex manifestatione impedimenti occulti non oriretur infamia, 8.
An possit tunc Pœnitentiaria exigere compositionem solvendam, si copula illa occulta proponeretur in foro externo, 9.
Solvuntur argumenta, 10.

1 HAc in re duplex est sent. 1. censet satis esse in diversis dispensationibus diversa impedimenta proponi, & quamlibet illarum validam esse quoad impedimentum in ipsa explicitum. Ut si qui sint simul consanguinei, & affines, perierint in quibusdam litteris consanguinitatem proponere tacita affinitate & in aliis hanc, illa tacite, & utraque dispensatio valebit, quoad suum impedimentum. Ducitur 1 quod nullo jure caveatur, ut in impetratione dispensationis unius impedimenti mentio de aliis impedimentis fiat: 2. quia valet impetratio absolutionis ab una excommunicatione, non facta mentione de aliis quibus idemmet ligatur, ut communiter tradunt DD. cum *gloss. c. Ex parte, v. Redire, de offic. ordin.* Tertio quia passim contingit in curia impetrari dispensationem in quodam matrim. impedimento non facta mentione de alio: ac postea impetratur dispensatio super alio. Atque utraque reputatur valida. Quem stylum refert *Nav. statim alleg.* Quarto, quia (ut dixi disp. præc. nu. 20.) impetratas venia diversorum criminum; ut furti & homicidii, valet, si forsan facta: nec in unius impetratione est necessaria alterius mentio. 5. Quia alias fugeretur quis jacturam propriæ famæ ac feminæ facere explicando propriam incestum occultum cum sorore consanguineæ suæ ac feminæ consanguineæ, quam ducere vult, aut nequiret dispensationem validam impetrare. Sexto, quia alias ligatus voto castitatis volens ducere, consanguineam, non posset prius validam voti dispensationem impetrare. Et si id sit ex iis in quibus Episcopus dispensat, ut non nubendi vel pœnale castitatis, non posset hujus ab Episcopo dispensationem petere: & postea a Pontifice consanguinitatis. Et ideo hanc sent. fustinent loquentes de duplici impedimento, quorum alterum dirimit matrim. alterum vero tantum impedit, *Nav. lib. 4. conf. in 1. edit. tit. De despon. conf. 2. n. 1. & tit. De consang. conf. 1. n. 2. & conf. 2. n. un. & conf. 5. n. 2. 3. & 4. in 2. edit. eod tit. De consang. conf. 1. n. 2. & conf. 8. n. 2. 3. & 4. conf. 9. n. 2. consil. 10. n. 1. Enriq.* addens in foro externo eam dispensationem non admitti, *lib. 12. de matr. c. 2. n. 4. in comm. lit. Z. & c. 11. n. 2. Pet. de Led. de matrim q. 59. art. ult. dub. 2. dif. 3. post 3. concl. corol. 1. Zaval. practi. q. 737. n. 2.* Manuel *1. to. sum. in 2. edit. c. 238. n. 5. Vega 2. to sum. c. 34. cas. 97. ad fin.* Et loquentes de duplici impedimento dirimenti idem docent *Navar. l. 4. conf. 1. De consang. in 1. edit. conf. 4. n. 2. & 3. in 2. conf. 1. n. 2. & 3. Enriq. l. 12. de matr. c. 3. n. 8.* & quamvis ibi loquatur, quando ex ignorantia unum tacetur, at in *comm. lit. N.* ait idem esse, si scienter taceatur, *Manuel c. 228. n. 1. Emm. Sa sum. v. Dispen. n. 16.* explicans licet utrumque impedimentum sit publicum, & favet valde huic sent. quod docet *J: Andr. in arbore affinit. §. Ad arborem affinit. n. 5. habetur to 9 tract. novior* ubi ait quando affinitas, & publica honestas matrim. ineundo obstant, ac sola illa explicatur in dispensationis petitione, illam manere sublatam, & non hanc. Et quando alterum impedimentum dirimens est publicum, ut consanguinitatis, alterum autem secretum, ut affinitatis ex copula fornicaria, satis esse impetrare a Pontifice dispensationem consanguinitatis tacita affinitate: & a Pœnitentiaria, affinitatis non narrata consanguinitate docent *Nav. lib. 1. conf in utraque edit. tit. De conf. 1. q. 19. n. 49. & seqq. Graiss 1. p. decis. 12. n. 81. n. 13.* Et cum hæc sent. tot patronos habeat, & rationes non parvi momenti, est probabilis, nec potest juste damnari, qui illam amplecteretur nisi tot impedimenta in eadem persona concurrerent, ut juste possit credi Pontificem non dispensaturum ex causis sibi propositis, si tot impedimenta concurrere nosset.

2 II. sent. (cui tanquam longe probabiliori accedo) asserit necessario in eadem dispensatione esse mentionem plurium illorum impedimentorum faciendam, ne dispensatio subreptitia sit ac nullius prorsus valoris. Ducor, quod in dispensatione ne subreptionis vitio notetur, narranda sint omnia, quæ jure jubentur exprimi (ut diximus disp. 21. n. 13.) At quod libet impedimentum dirimens jure jubetur exprimi. Dices non exprimi jure ut in eadem dispensatione utrumque impedimentum declaretur. Sed resp. quamvis id non expressis his verbis in jure contineatur, at eo ipso quod jura præcipiunt omnia impedimenta Pontifici exprimi, nilque taceri ex iis, quæ ad dispensationem intrinsece conferunt, præcipiunt subinde omnia impedimenta in eadem dispensatione exprimi. Quia aliquo tacito verum esset dicere taceri veritatem intrinsece conferentem ad dispensationem. Et confirmatur, quia nec impedimentum in dispensatione narratum exprimitur prout pars est. Quippe conjunctum cum altero impedimento tacito constituitur vinculum longe strictius ac difficilioris dispensationis. Ut constat ex *c. Ex tuarum, de aucl. & usu pallii cap. 1. de tregua & pace, c. Pastoralis de privil.* Idque docet principium physicum, dictans virtutem unitam fortiorem esse seipsa dispersa. Quare merito ac jure optimo Pontifex utriusque vinculi conscius hæreret maturius perpendens an ejus concessio expediret. Et confirm. amplius, quia absurdum videtur admittere, validam esse dispensationem laborantis octo impedimentis dirimentibus, decepto Pontifice, petitis ab ipso octo dispensationibus seorsum. Quippe Pontifex facillimo negotio eas octo personis concederet, at uni nullatenus concederet. Nam (ut recte ajunt *Bald. l. Barbarius, n. 8. vers. 4. contra hoc, ff. de offic. prætor. & Ripa resp. 14. de rescr. n. 11.*) non præsumitur Principem velle promovere odiosos, ac multipliciter criminosos. Quod ad multiplex jure impedimentum habentes, quamvis ex delicto non nascatur, recte adaptari potest. Cum ii jure censeantur odiosi ad matrim. illud multipliciter impeditum inter se celebrandum. 2. Quia Pontifex dispensans in uno impedimento ibi proposito, decipitur in re necessaria, quoties plura subsunt impedimenta, quippe merito existimat contrahere volentes nullo alio impedimento laborare, argum. ex *l. Qui testamentum. in princ. ff. de testam.* ibi: *Si aliud eos nihil impediat, & cap. 1. de ætat. & qual. in 6.* ibi: *Si aliud non obstet.* 3. Quia quoties dispensatio est unica, & individua, vitiatur prorsus, itaut nec partim valeat, quando tacetur veritas intrinseca dispensationi, vel narratur falsitas (ut probavi disp. 21. n. 72.) At dispensatio hæc est individua ad unicum matrim. ineundum, & in unico impedimento expresso. Cum ergo veritas alterius impedimenti, quæ necessaria est, ac eget dispensatione intrinseca taceatur: tota dispensatio corruet. Et confir. quia alias dispensatio valida esset, si data opera hic mentiretur proponens unum impedimentum, ac dicens nullum aliud se habere. Nam si veritas illius impedimenti non est necessario explicanda in ea dispensatione, erit mendacium circa rem non necessariam. Quod non virtiat dispensationem sicut nec confessionem sacramentalem (prout diximus disp. 21. n. 74.) Quippe perinde irritatur dispensatio ex taciturnitate veritatis necessariæ, ac ex mendacio circa illam. Quod valde absurdum videtur. Et ideo pro hac sent. faciunt, *Abbas cap. Non debet, n. 12. de consang. & ibi Alex. de Nevo n. 11. Præp. n. 18. Brunel. de sponsal. concl. 26. n. 3. Suppl. Gabr. 4. d. 41. q. unic. art. 3. dub. 7. Stephan. Costa tr. de affinit. §. Inter impedimenta n. 3. Rosella v. Impedim. imped. 13. n. 2. Sylv. v. Matrim. 8. q. 14. diff. 3. Tab. v. Impedim. impedim. 11. ad fin. Loazes de matrim. Regis Angliæ dub. 10. n. 32.* ubi ajunt non valere dispensationem concessam explicata sola affinitate quando adest publica honestas. At si crederent valere quoad impedimentum expressum, non dicerent absolute non valere. Et similiter facit *Bald. l. Si non lex statim in pr. ff. de hæred. instituend.* ubi ait non valere litteras, si per eas removeantur certa obstantia, non tamen omnia. Et in propriis terminis tenent hanc sent. *Dom. cons. 33. pro examinat. a n. 2. Decius cons. 602. visa puncto n. 19. dub. 7. vol. 5. Zephal. cons. 639. a n. 30. usque ad 44. vol. 5. Mandos. de signat. gratiæ, 1. Dispensationes matrim. ad fin. vers. Reliquum est, Menoch. de arbitrar. lib. 2. cent. 2. cas. 203. n. 12. Gallego de cognat. spirit. c. 23. n. 5. Petr. de Ledes. sum. sacram.* ubi de matrim. *cap. 27. post 8. concl. diffic. 1.* Imo loquentes de duplici impedimento, quorum alterum est dirimens, alterum vero impediens, dicunt dispensationem esse omnino subreptitiam, nisi utrumque simul exprimatur, *Covar. 4. lecret. 2. p. c. 6. §. 4. fine, Gallego de cognat. spirit. c. 24. n. 7. Petr. de Ledes. de matrim. q. 56. art. 2. dub. 1. in fol. ad 2. Lud. Lop. 1. par. instr. c. 296. col. 15. vers. Igitur pro expedit. to 2. p.* ubi de matr. *cap. 46. imped. 4. fol. 1110. col. 1. fi.*

3 Nec refert an scienter sive ignoranter alterum impedimentum, in ea dispensatione tacitum sit. Quia quando est unica dispensatio non continens diversas partes, nil refert si veritas necessario explicanda taceatur ignoranter sive scienter (ut dixi disp. 21. n. 72. 56. Sed id tantum confert quando, dispensatio divisibilis est, utpote, quæ diversas continet partes ut dixi eodem n. 56.) At hæc dispensatio unica & individua est, nempe in uno impedimento, & ad unum matrim. Subreptio ergo admissa tacendo veritatem, sive scienter sive ignoranter, totam vitiabit dispensationem:

4 Hinc deducitur 1. ligatum voto religionis aut castitatis aut non ineundi matrimonii, vel illius non ineundi cum consanguineis, si velit, nondum ablato per dispensationem voto impetrare Pontificiam dispensationem ad ducendum consanguineam, vel aliam feminam, cum qua habet impedimentum dirimens, teneri in eadem petitione explicare Pontifici id votum, cum alio impedimento dirimenti, & eo tacito dispensationem impedimenti dirimentis fore subreptitiam. Secus autem si prius voti casa, quo potest Episcopus; poterit enim solum votum explicare: & impetrata illius dispensatione, petere seorsum dispen-

satio-

sationem in speciali illo impedimento, quo erga feminam laborat tacti voto. Ratio differentiæ est, quod in hoc posteriori casu nec dispensatio petatur, nec eo pertineat, ut voventi liceat virtute illius ducere feminam erga quam est speciale impedimentum, nec ad aliquod matrim. peculiare est: sed tantum ut vovens sit licite ineundi matr. capax: vel si fuit votum non ineundi cum consanguineis, vel non cum speciali consanguinea (dato id votum esse validum) solum petit virtute hujus dispensationis in voto eximi ab ea obligatione voti, quam obligationi juris communis superadditit sibi: nec ea dispensatione obtenta fas est sibi consanguineam, vel aliam cum qua impedimentum habet, ducere. At ad hæc nullum aliud impedimentum est, nisi solius voti. Ergo ejus solius mentio facienda est. Et cum jam voti obligatio sit per legitimam dispensationem ablata, quando rursus petitur dispensatio ad ineundum cum hac consanguinea, solum obstat huic matrim. impedimentum consanguinitatis, vel cujuscumque alterius impedimenti dirimentis. Nec est necessarium dispensationis prius concessæ mentionem facere: quod sint circa diversa, & una non excedat alteram. Juxta dicta disp. præc. n. 5. Ergo satis est sola impedimenti hujus dirimentis narratio. At in priori casu sunt duo impedimenta ad aliud speciale matrim. cujus dispensatio petitur, alterum illud dirimens, alterum impediens illius voti. Ergo utrumque in eadem dispensatione narrandum est, ne subreptitia sit. Juxta tradita n. 2. Quare idem dicendum esset, si sublato uno impedimento dirimente superveniret aliud: satis enim esset in posteriori dispensatione solius supervenientis mentionem facere, tacita priori dispensatione. Quod militet eadem ratio: tunc enim unicum obstat impedimentum, & dispensationes sunt circa diversa. Ut si quis obtenta dispensatione ad ducendam consanguineam & expedita jam per Ordinarium, contraheret cum illa affinitatem cognoscendo ejus sororem, satis esset aliam hujus solius affinitatis mentione facta dispensationem impetrare. Dixi expedita jam per Ordinarium, quia cum antea nondum perfecta sit prioris impedimenti dispensatio, nec possit expediri superveniente affinitate, eo quod jam sint duo impedimenta: esset necessarium aliam dispensationem a Pontifice impetrare, in qua utrumque simul impedimentum explicetur: ne subreptitia sit.

5 Secundo deducitur, si votum & juramentum de eadem re concurrant, casu quo dixi disp. 2. n. 23. esse explicandum utrumque vinculum, fore dispensationem subreptitiam omnino, ac nullius valoris, nisi utrumque vinculum simul dispensandi explicetur. Quod sint duo diversa vincula, & ita procedit quod n. 2. diximus.

6 Est tamen sententia hæc temperanda primo, ut intelligatur quando utrumque impedimentum sola dispensatione tolli potest, quando enim potest alia via, non est opus nisi solum quod dispensatione indiget; dispensanti explicare: & alii impedimento potest alia subveniri: Verb. gr. qui ligatus sponsalibus de futuro cum quadam femina, vel voto castitatis aut religionis ante pubertatem emisso, nec postea ratificato, vult consanguineam ducere, solius consanguinitatis renetur facere mentionem: & postea, ut licite consanguineam ducat, obtinere debet remissionem sponsalium a femina, cui fidem dederat: & irritationem voti illius a parentibus vel tutoribus (nam juxta probabiliorem sent. possunt irritare, licet vovens sit jam pubes, dummodo post pubertatem non ratificaverit.) Ducor, quod cum horum impedimentorum dispensatio necessaria non sit, sed alio modo possit eis occurri, non est opus ea dispensanti narrare cum impedimento, quod dispensatione eget.

7 Secundo temperatur, nisi alterum impedimentum sit occultum, & ejus generis, ut ex manifestatione sequeretur infamia: tunc enim non est necesse utrumque impedimentum proponi Pontifici, sed satis est illi proponere publicum, ut in foro externo dispenset, occultum autem sacræ Pœnitentiariæ, explicato quoque impedimento publico illi, super quo Pontifex dispensavit. Ut si quis velit ducere propriam consanguineam, cui affinitate quoque occulta conjunctus est, ratione copulæ occultæ cum ejus sorore. Et ratio est, quia pie & jure optimo ea creditur intentio Pontificis, ne similis casus remedio dispensationis destitutus sit: vel cogantur hi crimen occultum in foro externo prodere, cum propriæ famæ jactura ac periculo, ut crimen illud sic explicatum deferatur ad judicium fœculare, & damnentur pœnis incestui jure statutis. Dixi autem esse necesse utrumque impedimentum declarari sacræ Pœnitentiariæ. Quia cum in ea dispensatione non contineantur nomina contrahentium, manet adhuc occultum crimen, ac utrumque impedimentum notum sit Pontifici, cum quo consultatione habita dispensat pœnitentiaria: & perpendit an dispensare expediat, necne, concurrente eo duplici impedimento: ac proinde nil contra Pontificis mentem impetratur. Et sic tenet *Petr. de Led. sum. Sacram.* ubi de matrim. *cap.* 27. *post* 6. *concl. diffic.* 1. Et ita consulta sacra Pœnitentiaria Rom. responsum est hoc sufficere, & esse necesse. Et ego vidi ipsas pœnitentiariorum subscriptiones. Quare minus bene DD. n. 1. fine, relati dixerunt satis esse pœnitentiariæ detegi impedimentum occultum. Nec refert, sive prius proponatur utrumque Sacræ pœnitentiariæ, & postea publicum Papæ, sive econtra. Quia idemmet est effectus, & utroque modo intentioni Pontificis satisfit. Et ita his diebus venit ad manus meas dispensatio Sacræ pœnitentiariæ in hujusmodi casu, ubi affinitas occulta contracta erat cum consanguinea, & tenor commissionis sic habebat: *Si est ita, dispensa, postquam cum ipso, & dicta sorore super consanguinitatis hujusmodi impedimento dispensatum fuerit.* Ubi supponitur nondum dispensatum esse per Pontificem in consanguinitate. Et similiter credo posse tunc Confessarium, cui Sacra Pœnitentiaria hoc committit, dispensare in ea affinitate, licet nondum impetrata sit consanguinitatis dispensatio, ut postea ea impetrata possint illi licite contrahere. Quia mens ejus commissionis non est, ut antea non expediat eam dispensationem Confessarius, sed ut non fortiatur plenum effectum concedendæ facultatis ad matrim. donec Pontifex in impedimento alio dispenset.

Imo idem credo sufficere, quamvis impedimentum occultum 8 ejus esset generis, ut ex manifestatione infamia non sequeretur, ut si esset votum castitatis. Credo enim sat esse publicum Pontifici repræsentari, ut in eo dispenset, & postmodum utrumque Sacræ Pœnitentiariæ. Ducor, quod cum sacram Pœnitentiariam destinarit Pontifex, ut in occultis dispenset, nec ea voluerit publice in foro externo proponi, pie & merito credi potest velle eum sufficere, & requiri, ut vel utrumque impedimentum sibi proponatur, vel Sacræ Pœnitentiariæ, explicato tamen publico sibi, super quo Sacra Pœnitentiaria potestate caret. Quando autem prius impetraretur a Sacra Pœnitentiaria vel a Pontifice illius voti dispensatio, non esset opus mentione alterius impedimenti, juxta dicta n. 4. Sed tunc solum, quando prius impetratur alterius impedimentum.

Utrum autem possit tunc Pœnitentiarius exigere compositionem, quæ solvenda erat ob copulam, si in foro externo 9 dispensatio peteretur? dicemus disp. 34. num. 64.

Ad arg. n. 1. proposita resp. Ad 1. constat ex dictis nu. 2. 10 ubi explicuimus qualiter jure caveatur utrumque impedimentum in eadem dispensatione exprimendum. Ad 2. dic, diversam esse rationem. Quod ad dispensationis valorem petitur jure omnia impedimenta explicari, & in eadem dispensatione. At ad valorem absolutionis ab excommunicatione, nullo jure cavetur, ut impedimentum aliquod explicetur, præter eam causam præcise ob quam excommunicatio incursa est, cujus absolutio petitur. Imo nec eam causam necesse est explicare. Quia adhuc ipsa excommunicatione non expressa per oblivionem, manet pœnitens ab ea absolutus per generalem ab excommunicatione absolutionem præmitti solitam absolutioni a peccatis. Ad 3. negandum est stylum Curiæ id debere, nisi in duplici casu explicato nu. 7. & 8. Ad 4. negatur conseq. Quia impetratio illius veniæ diversorum criminum tendit ad diversos fines, & una non pendet ab altera. At dispensatio utriusque impedimenti tendit ad idem matrimon ineundum, cui utrumque illud impedimentum resistit: & ideo ut valeat utrumque simul impedimentum aperiendum est. Ad 5. constat ex dictis n. 7. Ad ultimum constat ex dictis num. 4.

DISPUTATIO XXIV.

Quæ exprimenda sint in dispensationibus impedimentorum matrimonii, ut subreptione liberentur?

SUMMARIUM.

An quando sunt plura impedimenta, sint omnia narranda, num. 1.

An sit explicandus gradus conjunctionis in consanguinitate, affinitate, & publica honestate ex matrimonio rato, 2.

An sit legitimatio subreptitia, explicato vitio spurii in genere, & dispensatio, explicata conjunctione in genere, & tacito gradu, 3.

An duplici titulo consanguinitate, affinitate, publica honestate, cognatione ve spirituali conjuncti tenantur utrumque explicare. Refertur quædam sententia, 4.

Proponitur sententia authoris: & explicatur qualiter in adulterini filii legitimatione sit utriusque parentis adulterium dicendum, 5.

An hanc taciturnitatem suppleat clausula, non obstante, atque hæc augeat gratiam supplens qualitates non expressas, 6.

An si affinitas est contracta ex multiplicata copula, quando est cum eadem consanguinea ejus, quam quis ducere vult, sit hæc copula multiplicata exprimenda in dispensatione: & similiter in dispensatione irregularitatis, quando excommunicatus celebravit sæpe, 7.

Quid, si impetrata affinitatis dispensatione, impetrans iteraret copulam cum eadem, antequam Ordinarius vel Confessor dispenset, aut post, 8.

An potestas dispensandi in aliquo gradu, etiam cum persona determinata, extendatur ad eum gradum duplicatum, 9.

An potens dispensare in aliquo certo gradu, possit quoque si cum eo gradu sit conjunctus alius inferior: & an potens dispensare in duobus consanguinitatis gradibus, vel altero consanguinitatis, & altero affinitatis possit quando uterque in eodem concurrit, 10.

Satisfit argumentis, 11.

An quando femina est superior in gradu consanguinitatis, ut quia est amita viri, sit id explicandum, 12.

An idem sit explicandum in affinitate, & publica honestate, num. 13.

An sit explicandum quando distantia graduum est in linea recta in consanguinitate, affinitate, ac publica honestate, num. 14.

An in

An in cognatione spirituali sit exprimendum, an sit paternitas vel compaternitas, ex qua Sacramento, ex quave actione erat, 15.

An matrimonio rato, & non consummato, sit ex eo explicandum, an sit ex matrimonio rato, 16.

An error utrius, quando exprimitur superior, etiam sit inferior gradus, 17.

Quid, si ignoranter exprimatur inferior, cum sit superior, 18.

Quid, si error contingat narrando majus impedimentum, ut consanguinitatem, cum sit minus diversæ speciei, ut affinitas, 19.

Quid, si in his casibus esset error communis circa gradum impedimenti, 20.

An quando est votum & juramentum, sive in honorem sollus Dei, sive simul in favorem tertii, illo remittente, vel votum sæpe iteratum, sint hæc explicanda in petitione dispensationis. Et an volens ducere uxorem sit professus & Sacerdos, & an si Episcopus vel Sacerdos, an potius sat sit ordinem sacrum explicare, 21.

An uxorem interimens animo concubinæ ducendæ, vel absque eo animo, & res deducta est ad forum contentiosum, & damnatus non prima ordinaria, sed arbitraria defectu plenæ deliti probationis, qualiter possit impetrare dispensationem, non latens delictum in narratione possit de eo convinci ac damnari, 22.

An dum contrahentes consanguinei vel affines, distant inæqualiter a stipite sat sit mentio gradus remotioris. Refertur duplex opinio, n. 23. & 24.

Proponitur sententia Authoris, 25.

Proponitur tenor litterarum declaratoriarum, quæ ex præscriptis motus proprii Pii V. impetrandæ sunt ab explicante solum gradum remotiorem, 26.

An hæ sint necessariæ, quando in publica honestate ex matrimonio rato, vel in affinitate ex fornicatione solus gradus remotior explicatur, 27.

An hæ litteræ sint pro solo foro externo necessariæ, 28.

An valeat matrim. initum solo gradu remotiori explicato nec his literis impetratis, nec sit a judice Ecclesiastico separandum, 29.

Quid, si non allatis his litteris declaratoriis judex suo munere absentes dispensaret, vel quia falso probatum est esse solum gradum remotiorem, an id matr. valeat, 30.

An si, qui sic contraxere, ubi non est scandalum, nec res ad forum externum delata, teneantur eas litteras procurare, 31.

Quando gradus propinquior stipiti est primus, an valeat dispensatio solo gradu remotiori explicato, 32.

An quando affinitas est occulta, & sic in foro conscientiæ petitur dispensatio, sat sit gradus remotioris mentio absque his litteris, 33.

An potestas dispensandi in aliquo gradu, extendatur ad ipsum quando minus est ex remotiori & propinquiori, 34.

An detur privilegium Indis concessum, ut possint in tertio & quarto gradu matrimonium inire, 35.

An concurrentibus affinitate, & publica honestate, sat sit affinitatis mentio. Refertur duplex sententia, n. 36. & 37.

Explicatur sententia Authoris, 38.

An si subreptitia dispensatio affinitatis in tertio vel quarto gradu, non explicata publica honestate, nec copula licita ex qua affinitas est, 39.

Quid, si explicetur affinitas in primo vel secundo gradu tacito an sit ex copula licita, & tacita publica honestate, n. 40.

An hi, an explicandum sit an affinitas sit ex licita copulas & quid, si in genere explicetur publica honestas.

An potestas dispensandi in affinitate extendatur ad publicam honestatem concurrentem, & ad publicam honestatem ex solo matr. rato vel sponsalibus consurgentem, 41.

An in dispensatione consanguinitatis vel affinitatis sit necessaria mentio copulæ incestuosæ, matr. male contracti, spe facilioris dispensationis. Remissive, 42.

Solvuntur argumenta, 43.

1 PRima Concl. sit. Quoties sunt plura impedimenta, omnia sunt necessario narranda, ut virtute dispensationis liceat matrimonium inire. Ratio est aperta, quia cum omnia illa matrim. ineundo obstent, omnium illorum est necessario dispensatio impetranda. Et sic docent omnes; solum enim controvertitur, an sit necesse ea in eadem dispensatione exprimi, an sat sit in diversis. De qua re egimus disp. præced. Et speciatiter conclusionem hanc docent *Sotus* 4. *dist.* 41. *q. un. n.* 2. *col.* 4. *Covar.* 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. *§.* 7. *n.* 1. *Bart. à Led. de matr. dub.* 39. *fin. Manuc.* 1. *tom. sum. in* 2. *edit. c.* 228. *n.* 1.

2 II. Conclusio. Necesse quoque est, ne dispensatio subreptitia sit, exprimere quoto gradu consanguinitatis, affinitatis, vel publicæ honestatis ex matr. rato (in qua etiam sunt gradus) conjuncti sint contrahere volentes. Constat ex communi stylo Curiæ. Item quia quo gradus conjunctior est, eo difficilior est dispensatio, ac major compositione exacta, urgentioribusque causis petitis conceditur. Et ita tenentur omnes.

3 Hinc deducitur subreptitiam esse dispensationem, si hæc in genere explicentur tacito gradu. Quod delit qualitas necessario exprimenda. Sicut in simili tradunt DD. subreptitiam esse legitimationem spurii, si solum declaretur eum esse spurium racitis qualitatibus & circumstantiis coitus: ex quo procreatus est. Hi *Thom. Sanchez de Matrim.* Tom. III.

sunt *Baldus l. Eam quam, n.* 36. *C. de fidic. Ant. c. Per venerabilem n.* 15. *qui filii sint legit. & ibi Abb. n.* 27. *Alex. de Nevo n.* 53. & latissime proxime *Fel. c. Postulasti, n.* 2. *declar.* 5. *de sepult. Alex. cons.* 195. *n.* 3. *& 7. vol.* 2. *Franc. c. 1. n.* 5. *de fil. presb. in* 6. *Lat. de adhuc. n.* 9. *Quantum n.* 32. *Rip. a resp. jo. 1. q.* 11. *de reform. Sotus bene. 3. p. q.* 11. *ad fi. Rebuffus pravi benef. tit.* 2. *de dispens. super defectum natalium, n.* 61. *& t. de rescriptis b. git. milo, n.* 31. *Gamb. de authoritate legati, l.* 7. *t.* 1. *De dispens. legatorum circa matrim. n.* 406. *& 407. & l.* 10. *n.* 219. *Greg Lop. l.* 9. *t.* 1. *Noo auct. t.* 18. *p.* 3. *Cov.* 4. *decr.* 2. *p. c.* 8. *§.* 9. *n.* 1. *& 2. ubi & alios refert Villalan com. opin. lit. Lær. Legitimatio, n.* 112. *Rosa cons. successi. c.* 23. *n.* 17. *Pelaez de majoratu, in* 1. *ed. n.* 1. *p.* 4. *n.* 6. *Menoch de arb. l.* 2. *cent.* 3. *casu* 203. *n.* 2. *Velasc. cons.* 80. *n.* 1. *t.* 1. *Et ex Theologis, Mol. t.* 1. *de just. tr.* 2. *disp.* 171. *col.* 8. *vers. Hinc colligitur Lud. Lop.* 2. *p. instr.* ubi de matr. *cap. ult. tit. De Dispensatione petenda, statim in princ.* Neque est audiendus *Arotinus*, qui loquens de legitimatione tenuit contrarium, *c. As si clerici, §. De adulteriis, nu.* 42. *de judiciis*, quem optime improbant *Fel. proxime alleg.*

Secundo deducitur, quod in ea quæ iteneniendum sit. An si 4 duo sint duplici titulo conjuncti in eodem vel diverlo gradu, sit utriusque conjunctionis mentio necessaria? Verbi gratia, sint ex parte utriusque parentis conjuncti in 2. gradu, id est, *primos hermanos por dos partes*, vel ex uno parentis latere sint conjuncti in secundo gradu, & ex altero, in tertio vel quarto: vel sint affines duplici titulo, ut quia, contrahens rem habuit cum duabus personis consanguineis intra 2. gradum alterius contrahentis: vel duplici titulo, contraxere Cognationem spiritualem, ut si alter alterius duos filios baptizavit, vel ex sacro fonte levavit, aut tenuit in Confirmatione: vel eumdemmet filium ex sacro fonte levavit, & in confirmatione tenuit: vel alter fuit mutuo patrinus filii alterius: vel duplici ex parte habent impedimentum publicæ honestatis: quia contraxit matrimonium cum duplici cognata intra quartum gradum ejus cum qua vult contrahere, vel duo sponsalia valida cum duabus ejus sororibus ex dispensatione Pontificis. Aliqui censent satis esse absolutam gradus illius propinquioris mentionem, non explicata multiplicitate ejusdem vinculi, v. g. satis est dicere, tumus patrueles vulgo *primos hermanos*, non explicando an via utrumque parentis: vel an altero consanguinitatis gradu inferiore te attingant: & idem dicunt loquentes de affinitate. Ducuntur, quia ubi uterque ex utroque latere consanguineus est, unicum est consanguinitatis vinculum, nec inde gradus hic recipit augmentum. Ut tradunt *Calderon. cons.* 1. *de consang. n. un. Alex. de Nevo c. Quod dilectio ad finem, de consang. & ibi Prep. n.* 8. *Quare Papa, Gamb. de authoritate legati, l.* 7. *tit. De dispens. legatorum circa matrimonia, n.* 40. Secundo, quia irregularis eo quod læpe celebrarit excommunicatione innodatus, non tenetur in dispensationis impetratione mentionem facere multiplicis celebrationis. Et habens rem læpe cum sorore fœminæ ducendæ, non tenetur multiplicem copulam narrare. 3. quia ex actionibus unius speciei in eodem subjecto, unum numero accidens consurgit: ut constat in productionibus plurium albedinis graduum in eodem subjecto. 4 quia natus ex duplici adulterio conjugati cum conjugata, non tenetur in legitimationis impetratione utrumque vitium exprimere, sed satisfaciet narrans se ex conjugato & soluta natum esse, quia sic expleat se ex adulterio habitum. Ut sustinet *Angelus consil.* 204. *n.* 1. *Prop. Per venerabilem, §. Quod autem, n.* 24 *in fine, qui filii. sint legit.* Similiter ergo sufficiet explicare gradum propinquiorem consanguinitatis vel affinitatis, non explicata multiplicitate affinis gradus. Atque ita in propriis terminis sustinet *Enr. l.* 12. *de matr. c.* 10. *n.* 3. loquens de consanguinitate & affinitate. Et loquentes de affinitate docent idem *Petr. de Led. in sum. Sacr.* ubi de matr. *c.* 27. *post* 6. *concl. diffic.* 2. *Manu. t.* 1. *sum.* 2. *edit. c.* 238. *n.* 1. *fine Vega* 2. *t. sum. c.* 34. *casu* 89. *fine.* Atque idem dicerent de gradibus publicæ honestatis, & cognationis spiritualis.

Ceterum dicendum est, esse necessariam mentionem multi- 5 plicatis ejusdem gradibus, vel diversis, in consanguinitate, affinitate, publica honestate, cognatione spirituali, in omnibus exemplis numeri præc. initio propositis, ne subreptitia sit dispensatio. Ducor, quia in odiosis, quale est dispensatio, mittum non comprehenditur sub simplici (ut probavi disp. 2. n. 28.) At negari non potest, multiplicatas cognationes mistas esse. Non ergo comprehenditur in dispensatione simplicis gradus cognationis. Et confir. quia duo caloris gradus solo numero distincti, quamvis, in eodem subjecto uniantur, & fiant unus numero calor ratione unitatis subjecti, at multo intensior est duplicatus ille calor, & difficilius colitur. Ergo quamvis duplex ille conjunctionis gradus sit eadem numero conjunctio ex unitate subjecti, in quo reperitur, erit multo intensior, atque perinde ac si esset alia conjunctio, & sic erit explicandus. 2. probatur explicando magis dicta. Quia duæ v. g. consanguinitas ex duplici parte consurgit, tunc non est unica, ac unius sanguinis communicatio, sed est duplex duplicisque sanguinis vere participati a duobus diversis. Cum ergo ex sanguinis participatione consurgat impedimentum consanguinitatis, pullulabit inde, aut duplex impedimentum, aut saltem duplicabitur gradus ejusdem impedimenti. Et similiter quando contrahitur duplex affinitas cum eadem femina ex duplici copula habita cum duabus ejusdem consanguineis, tunc non datur simplex eorumdem seminum commistio, ex qua sequitur affinitas, sed est duplicata diversorum numero seminum commistio.

Et similiter cognatione spirituali & publica honestate multiplicatis, augetur id attinentiæ vinculum consurgens ex' duplicatis, augetur id attinentiæ vinculum consurgens ex' diversis omnino causis, ratione diversarum personarum, vel ratione ejusdem personæ ex distincto omnino ministerio circa Sacramenta diversa. Ergo utrumque conjunctionis est mendacium facienda. 3 quia illegitimus ex adulterio conjugati cum tio facienda. 3 quia illegitimus ex adulterio conjugati cum conjugata, subrepti tiam imperabit dispensationem, sed adulterum narrans, & sic legitimatio ita erit, nisi utriusque parentis adulterium narret. Ut reprobata contraria sententia n. præc. in tatione 4 allegata sustinent *Oldrad. cons.* 247. *dub.* 2. n. 2. *Ant. c. Per verum, num.* 13. *per fil. sunt legit. & ibi Abb. num.* 27. *Alex. de Nevo num* 54. *Præpositus ibi contrarius ibi* §. *Quod autem n.* 20. *Alex. cons.* 80. *ad fi. & cons.* 295. *nu.* 6. *vol.* 2. *Decius cons.* 462. *Visa legit. n.* 7. *vol.* 4. *Milis in repert. lit. P. p.* 12. *c. filius natus ex duplici & lit. D. num.* 23. *Verb. Disp. vers. Dispensandi Facultas. Fel. ex Postulatis, n.* 2. *vers. Ceterum & de ipso, & decur.* 2. *de reser. Angelus v. Legitimatio, n.* 5. *Rafaella v. Illegitimus, n.* 17. *Sil. v. Legitimus, q.* 3. *d.* 2. *Everard in suis topicis, loco a vi geminationis, nu.* 11. *Greg. Lop. l.* 9. *v. Non avia, t.* 18. *p.* 3. *Cov.* 4. *decr.* 2. *p c.* 8. §. 9. *n.* 3. *Villalob. in communib. opin. lit. L. v. Legitimatio, n.* 13. *Mandos. in signatura gratiæ, v. Dispensationes matr. de p. Rebus epitome succ. c.* 23. *n.* 17. & 19. *Pelaez de majorat. 1. ed. 1. p. q.* 3. *n.* 6. *Borgas de irreg.* 2. *p. tit. de interp. disp. n.* 12. *Valasc. cons.* 80. *n.* 3. *t.* 2. *Mol. t.* 1. *de just. tractatu* 2. *disp.* 173. *col.* 4. *vers. Hinc colligitur.* Ergo similiter erit subreptitia dispensatio, si non explicetur conjunctionis gradus. Et ita in propriis terminis loquentes de consanguinitate docent *Rota in notiss. vol.* 3. *t.* 1. *decis.* 117. *num.* 2. & 12. *decis.* 70. *n.* 1. *Jac. de Puteo dec.* 39. *n.* 2. & 3. *t.* 3. *Mand. proxime alleg. Mol. t.* 1. *de just. tr.* 2. *disp.* 161. *col. pen. vers. Haud tamen, Pet. de Led. matr. q.* 56. *ar. ult. dub.* 2. *diffic.* 3. *corol.* 5. & *sum. Sacr.* ubi de matr. *c.* 27. *conc.* 6. Et quamvis de aliis conjunctionibus non loquantur, at cum eædem rationes in illis militent, idem sentirent si de illis agerent. Quare immerito *Petr. de Led.* qui hoc sentit in consanguinitate contrarium dixit in affinitate, ut ex ipso retulit n. præc.

6 Nec tacito altero conjunctionis gradu, proderit clausula. Non obstante, in litteris dispensationis appolita, ut reddat ipsam validam supplens gradum non expressum. Quia clausula hæc non reddit gratiam validam, nec illam auget supplens qualitatem necessario exprimendam taciturnitatem, sed tantum reddit valida, ac confirmat expressa: ut optime tradunt *Bald. l.* 1. *n.* 22. *vers. Unam etiam scias. C. de furtis, & l. Eam quam n.* 36. *C. de fidei. Alex. cons.* 95. *n.* 7. *vol.* 2 *Dec. cons.* 541. *Visa donat. n.* 21. *vol.* 4. & *cons.* 602. *Visa puncto nu.* 19. *vol.* 5. *Ruina cons.* 228. *n.* 18. *fi. vers. Nec obstat, vol.* 1. *Aym. cons.* 296. *n.* 3. *vol.* 2. *Ripa resp.* 14. *de reser. n.* 11. *Goz. cons.* 6. *n.* 7. *Zephalus cons.* 684. *n.* 44. & 45. *vol.* 5. referens *Zephalum genitorem suum, cons.* 186. *n.* 29. *Menoch. de arb. l.* 2. *cons.* 3. *casu* 203. *n.* 23. *Brunor. in suo compendio, lit. D. vers. Dispensatio est de lege.*

7 Quod si affinitas esset contracta ex pluribus fornicationibus cum eadem consanguinea, non esset opus exprimere copulam fuisse multiplicatam: sed sufficeret affinitatis mentio. Constat ex stylo, nullus enim unquam id exprimit, nec quando petit dispensari in affinitate ex copula conjugali, petitur ab ipso, ut numerum copularum conjugalium aut tempus quo duravit matr. explicet. Secundo quia irregularis, ea quod excommunicatus celebrarit, non tenetur multiplicate celebrationis mentionem facere. Ut bene tradunt *Enrig. l.* 13. *de excomm. c. ult. n.* 2. *in comm. lit. M. & l.* 14. *de irreg. c.* 7. *fi. Emm. Sa sum. v. Irreg.* ubi de irregularitate ex delictis abusu fi. Quamvis contrarium magis bene in hoc teneat *Manuel. t. t. summ.* 2. *edit. c.* 182. *fi.* Ergo similiter in nostro casu. 3. probatur redita discriminis ratione inter diversas fornicationes cum diversis consanguineis ejusdem fœminæ, vel cum eademmet consanguinea ejusdem. Quia in hoc posteriori casu non contrahunt plures affinitatis, seu plures ejusdem affinitatis gradus: sicut nec multæ irregularitates ex multiplici celebratione excommunicati: sed tantum adduntur novæ illæ actiones, quibus sufficienter contraheretur irregularitas vel affinitas, nisi esset jam contracta. Sicut ex multiplici ejusdem voti repetitione nullum vinculum novum consurgit. At in priori casu sunt diversa numero impedimenta intra eamdem cognationis speciem, vel saltem plures distinctæ quasi gradus ejusdem specificæ conjunctionis. Sicut plures gradus caloris in eodem subjecto. Ut explicui n. 5. Et hoc tenent a fortiori Doctores n. 4 relati.

8 Hinc deducitur, si obtenta Pontificia dispensatione in affinitate, antequam Ordinarius eam exequatur, impetrans iteraret copulam cum eadem consanguinea fœminæ a se ducendæ, valere adhuc dispensationem. Quia nondum consummata est dispensatio in affinitate, sed Ordinarius virtute mandati Apostolici dispensare debet. At culpa hæc non auget affinitatem, nec novum aliquem ejus gradum producit, sed eadem affinitas manet, in qua dispensari committitur Ordinario. Secus esset, si accideret copula postquam jam dispensavit Ordinarius, vel Confessor, cui committitur in foro conscientiæ. Quia cum prior affinitas sit omnino per dispensationem ablata, contraheretur nova affinitas per hanc copulam, in qua nulla est dispensandi commissio.

9 Quamvis autem dispensatio in aliquo conjunctionis gradu non extendatur ad conjunctionem duplicatam ex utroque parente (ut n. 5. probavi) At potestas dispensandi in aliquo conjunctionis gradu concessa, extenditur ad eum gradum licet duplicatum. Quia dispensatio tanquam odiosa est restringenda: potestas autem dispensandi tanquam favorabilibus extendenda, Conferunt etiam ad hoc quæ cum aliquibus diximus disp. 2. n. 30. nimirum in potestate legitimandi spurii comprehendi casum mistum. Et ita docent in propriis terminis *Cald. cons.* 1. *n. un. de confang. Alex. de Nevo c. Quod dilectio ad fin. de confang. & ibi Præp. n.* 8. *vers. Quero Papa Fel. c. fi. n.* 8. *de simon. & c. Et fi clericis* §. *De adulteris nu.* 8. *de judicijs Ripa resp. fin.* 11. *n.* 6. *de reser. Jac. de Puteo, dec.* 39. *nu.* 2. 12 *Rot. in nov. vol.* 3. *t.* 1. *decis.* 117. *num* 3. & 12. *decis.* 70. *num.* 3. *Gamb. de quæst. leg. l.* 7. *tit. de dispens. legatorum circa matr. n.* 46. & *seq.* Quamvis contrarium minus bene teneat *Milis in suo repert. lit. D. n.* 23. *v. Disp. vers. Dispensandi facultas*, ubi ait habentem facultatem dispensandi cum nato ex adulterio non posse, quando natus est ex utrisque parentis adulterio. Cui favent DD. quos retuli disp. 2. n. 30. dicentes potestatem dispensandi cum spurio non extendi ad casum mistum. Imo quandoquidem commissio ad dispensandum in gradu certo cum determinata persona, non ad petitionem ipsius, sed in ipsius dispensaturi favorem concessa extenderetur ad eumdem gradum multiplicatum. Quia ea commissio, ut favorabilis est extendenda, instar potestatis dispensandi (ut diximus disp. 2. n. 9.) Et ita docent *Jacob. de Puteo, & utriusque Rotæ decisiones proximæ allegatæ.*

At hic eui potestas data est dispensandi in certo gradu, ut in 2. non posset, si illi adjunctus quoque esset alius gradus etiam inferior. Ut si contrahentes sint conjuncti in 2. & in 3. etiam gradu, ut quia sunt vulgo *primos hermanos, y primo segundos*. Quia secundus gradus est genus ad eumdem gradum multiplicatum: at non est genus ad 2. & 3. Et quamvis potens dispensare in 2. gradu, posset fortiori in 3. eumdem in minori: at nequit, quando uterque gradus in eodem reperitur. Quia multo major est quam 2. solus, nec comprehenditur sub 2. tanquam sub genere. An autem potens dispensare in 2. gradu, & etiam in 3. consanguinitatis, vel in 2. consanguinitatis, & 2. affinitatis possit quando uterque gradus in eodemmet concurrit, pendet ex illa quæstione, quam dilcuili disp. 2. n. 27. & 28. an potens legitimare adulterum & incestuosum, possit eumdem utroque vitio affectum: & justa diversas sententias ibi relatas est tenendum. At retenta nostra, quam ibi n. 28. tenuimus, dicenti posse, idem est in hoc casu.

Ad argum. n. 4. proposita resp. Ad 1. constat ex dictis n. 5. ubi probavimus non esse duas omnino distinctas cognationes, at esse unam intensiorem duos quasi gradus habentem. Ad 2. constat ex dictis numero 7. ubi discriminis rationem tradidimus. Ad 3. & 4. constat ex dictis nu. 5. ubi explicuimus qualiter sit unum numero accidens, & reprobavimus doctrinam Angeli.

II. Conclusio. Non satis est aliquando explicare consanguinitatis gradum, etsi explicetur eum esse inæqualem, sed quando inæqualitas oritur ex eo quod fœmina sit stipiti proximior, est quoque id explicandum: alias erit subreptitia dispensatio. Quia cuicumque fœmina sit amita vel matertera viri, id est, *tia laya*, multo absurdius est id matr. Ut optime docet *Sanz 4. disp.* 40. *q. u. a.* 3. *col.* 8. *vers. Quarta domum, & a.* 4. *vol. penult. vers. Et tertio.* Quia cum consobrinus debeat jure naturæ esse subjectus matertera, eique ac superiori reverentiam præstare teneatur, perverteretur hic ordo matr. inter eos inito, effecta ipsa tanquam uxore subdita duo consobrino. Atque ita docet *Molina tr.* 3. *de just. tr.* 2. *disp.* 161. *col. penult. vers. Illud tamen.* Quod moderarer, quando esset amita vel matertera in 2. vel 3. gradu. Quia *ella hermana, prima hermana del padre, o madre del varon*. Secus, si in quarto gradu, ut quia est *prima secunda dellos*. Quod inter nos fere nulla ejus superioritatis æstimatio sit. Atque ita tunc sufficeret explicatio gradus veri, nempe remotioris, explicando in genere eum esse inæqualem. Ut volunt duo contrahere conjuncti in 3. cum 4. gradu, eo modo, quo eam inæqualitatem dicemus a nu. 23. esse explicandam. Nil enim speciale in hoc eventu reperitur.

III. Conclusio. In affinitate tamen aut publica honestate, non existimo necessarium explicare hanc majorem fœminæ propinquitatem stipiti, sed satis esse inæqualitatem gradis exprimere, eo modo quo a n. 23. dicemus eam inæqualitatem graduum esse explicandam. Verbi gratia. Petrus vult uxoris prioris a se cognitæ, vel incognitæ amitam vel matertteram docere, satis est in dispensatione explicare, se velle ducere fœminam consanguineam in primo cum 2. gradu prioris uxoris cognitæ, & sic affinem sibi, vel non cognitæ, & sic habentem impedimentum solius publicæ honestatis ex matr. rato ortæ, non explicando fuisse ejus amitam. Quia in affinitate vel publica honestate non ea peculiaris reverentia exhibetur fœminæ propinquiori ad stipitem, quæ in consanguinitate. Et hoc præcipue mortua jam uxore, ut hic contingit. Atque proinde non ita dedecet hoc matr. ut ejusmodi majoris propinquitatis ad stipitem ex parte fœminæ se tenentis sit peculiaris mentio facienda.

IV. Conclusio. In consanguinitate, affinitate, vel publica honestate credo necessarium fore exprimi an distantia graduum sit in linea recta. Verbi gratia, si vellet quispiam ducere aviam, vel proaviam, neptem, aut proneptem, sive propriam, sive uxoris cognitæ, aut non cognitæ (supposita opinione docentium eam prohibitionem esse solo jure humano inductam) aut matrem filiam-

filiamve sponsæ de futuro: vel econtra fœminam avum vel proavum proprium, aut prioris viri, aut patrem prioris sponsi de futuro, non satis esset exprimere gradum conjunctionis, sed explicandum esset esse in linea recta. Quia parentibus alterius conjugis, vel sponsi de præsenti, vel de futuro, fere eadem reverentia debetur, ac propriis. Atque proinde multo indecentius est ac absurdius hujusmodi matrim. quam ubi distantia gradus est in linea transversa. Id tamen non reputarem necessarium exprimere in affinitate ex copula fornicaria. Quia ex ea copula non oritur notabiliter specialius vinculum, aut notabiliter major reverentiæ obligatio affinibus ex linea recta, quam ex transversa.

15 V. Conclusio. In cognatione spirituali credo necessarium exprimere, an inter contrahentes sit filiatio spiritualis, quod alter alterum levarit de sacro fonte, aut tenuerit in Confirmatione: an potius compaternitas, eo quod eæ actiones exercitæ sint erga alterius ex contrahentibus filium. Quia multo indecentius est cum filio aut filia spirituali contrahere, quam cum compatre vel commatre. Nam cum regeneratio hæc spiritualis, ex qua filiatio ista consurgit, assimiletur generationi carnali, ex qua filiatio naturalis oritur: sicut indecentissimum est inter patres & filios carnales matr. ita hoc modo, licet non æquali, inter patres ac filios spirituales. Et ideo disp. n. 7. diximus cum multis, nunquam legi Pontificem dispensasse ad contrahendum cum impedimento filiationis spiritualis: cum tamen sæpe in compaternitate dispensarit. Utrum autem filiatio hæc aut compaternitas consurgat ex Baptismo vel confirmatione, sive orta sit, quia volens contrahere baptizavit, vel levavit, vel tenuit, credo non esse opus quidquam horum exprimere, sed satis esse dicere esse filiationem inter illos, vel compaternitatem. Quia parum hæc mutant vel augent.

16 VI. Conclusio. Si publica honestas oriatur ex matrim. rato, non satis erit mentionem publicæ honestatis facere, quando petitur dispensatio in primo gradu, sed oportet exprimere eam ex matr. rato ortam. Quod multo urgentius impedimentum ex matr. rato, quam ex sponsalibus oriatur; adeo ut illud multi affinitatem vocent. Adde multo indecentius esse matr. cum sorore sponsæ de præsenti quam sponsæ de futuro, cujus maximum signum est, quod *Trid. sess.* 24. *de matr. c.* 3. restrinxerit impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum, ut non excedat primum gradum, cum tamen publica honestas ex matr. rato extendatur usque ad 4. Quando tamen ultra primum gradum peteretur dispensatio in publica honestate, non est opus exprimere unde orta sit. Quia post id Tridentini decretum ex solo matrimonio rato potest oriri.

17 VII. Conclusio. Si error sit in gradu, explicando majorem, ut secundum, cum tamen sit minor, ut tertius, valet dispensatio. Quia etsi non sit concessa specifice pro 3. gradu, est tamen concessa simpliciter pro consanguinitatis impedimento, cum errore circa qualitatem accidentalem inclusam a fortiori in gradu super quo dispensatur. Item, quia non vitiatur dispensatio ex falsa qualitatis expressione, quando ea vere expressa reddereatur facilior (ut probavi disp. 21. n. 35. ubi & n. 36. respondi ad *c. Cui non sacerdotali, de præbend. in 6.* quod adversus hoc urget) Quod si opponas, non valere in dispensatione argumentum a majori ad minus (ut dixi disp. 1. nu. 32.) dic valere utique (ut ibi num. 35. probavi) quando minus includitur in majori, prout in hoc casu contingit. Et ideo hanc conclusionem tenent *Petr. de Ledesma sum. Sacram.* ubi de matr. *c.* 27. *post* 7. *concl. dub.* 1. *Manuel* 1. *tom. sum. in* 2. *edit. c.* 238. *concl.* 3. *n.* 3. *Vega* 2. *tom. sum. c.* 34. *casu* 95. *initio*. Atque hoc verum credo, quamvis data opera id mendacium contingeret. Quia non tangit dispensationis subslantiam: & ea falsitate non expressa concederetur facilius.

18 VIII. Conclusio. Si tamen error sit explicando gradum inferiorem, ut quartum, cum tamen sit superior, ut tertius, quantumvis ex ignorantia inculpata procedat, est subreptitia & irrita dispensatio. Quia contingit circa dispensationis substantiam: & ita nullatenus in illo gradu superiori dispensatur, utpote, qui nec formaliter, nec virtute clauditur in inferiori. Item quia error ex ignorantia contingens tunc tantum non vitiat, quando eo non obstante concederetur literæ, & casus ad quem uti volo rescripto, sub ejus verbis comprehenditur (ut probavi disp. 21. n. 39.) At gradus ille superior nequit in rescripti hujus verbis comprehendi.

19 Ultima conclusio. Si error contingat narrando majus impedimentum, cum tamen sit minus diversæ speciei, ut si dicatur contrahentes esse consanguineos in 2. gradu; cum tamen non sint nisi affines in 2. vel 3. gradu, dispensatio est subreptitia. Quia cum sint diversa impedimenta, nec unum claudatur in altero, dispensatio in uno nequit explicari ut censeatur in altera concessa. Ad quod confert spurium legitimatum tanquam ex incestu natum, non censeri legitimatum, si ex adulterio sit, quamvis adulterium minus delictum sit. Quod sint diversæ speciei. Quod multis citatis tradunt. *Covar. 4. decret. 2. p. c.* 8. §. 8. *n.* 11. *Salz. addit. ad reg.* 195. *Bernardi Diaz, in fi.* Præterea quia dispensatio super uno defectu, non est dispensatio super alio. Ut docent *Baldus cap. Innotuit, n.* 17. *de elect. Afflictis decisione Neapol.* 320. *num.* 12. Et ideo conclusionem hanc in propriis terminis docet *Ludov. Thom. Sanchez de Matrim.* Tom. III.

Lop. 2. p. instruct. ubi de clavibus, *c.* 9. *col.* 5. & 1. *p. c.* 50. *col.* 2. Addit in hoc posteriori loco secus esse potestates dispensandi in consanguinitate, eam enim ait extendi ad dispensandum in simili affinitate, tanquam ad minus. Sed hoc nullo modo credo. Quia quamvis potestas dispensandi extendenda sit, id tamen intelligatur quando casus, ad quem fit extensio, potest comprehendi sub casu expresso (ut probavi disp. 2. n. 2.) Quod in hoc casu minime reperitur, cum sint diversæ species. Atque ita *Baldus proxime alleg.* dixit potestatem legitimandi spurios ex incestu, non extendi ad aliam speciem; quia sub una specie non continetur altera.

Forsan aliquis limitaret duas præcedentes conclusiones, nisi sit error communis circa illum gradum, illudve impedimentum; quia, scilicet, contrahentes communiter existimabantur consanguinei in tertio gradu, cum tamen vere essent in 2. vel communi errore putabantur affines, cum tamen essent consanguinei tunc enim videretur valida dispensatio ob eum communem errorem, Possetque hoc probari ex doctrina, quam tuentur *Valascus cons.* 80. *fine, tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 172. *col.* 9. *vers. Quando qualitas*, ubi ajunt quoties qualitas aliqua ideo non fuit expressa in petitione legitimationis, quia tempore coitus, & expeditionis legitimationis ignorabatur, non reddi dispensationem, seu legitimationem subreptitiam. Ut si quis genuisset filium ex ea, quæ communiter reputabatur vidua, & post legitimationem compertum est eam fuisse conjugatam, dicunt valere legitimationem non explicato adulterio Pontifici. Et probant, quia ad valorem actus, opinio communis quandoque præfertur veritati, *l. Barbarius ff. de offic. prætoris*. Pro eadem parte facit doctrina multorum, asserentium expresso aliquo vacationis beneficii modo non venire alium, nisi esset communis error existimans modo illo expresso id vacasse: tunc enim ajunt communem hunc errorem excusare, nisi adesset alius simul impetrans id beneficium: per *d. l. Barbarius*. Hi sunt *Lapus allegat.* 89. *a num.* 8. *Dominic. cap. Susceptum, num.* 5. *de rescript. in o. Socin.* quem refert, ac sequitur *Felin. c. In nostram, n.* 38. *vers. Quod dictum est, de rescrip. Rebuff. in concordat. in forma mandati Apostol. paulo ante vers. Idem expresso. Mandosius reg.* 34. *cancell. quæst.* 53. *num.* 10. *Menochius de arbitrariis, l.* 2. *centur* 3. *casu* 201. *num* 104. *Mascard. de prob. concl.* 186. *n.* 7. Ceterum nullatenus auderem hanc limitationem admittere; quia ignorantia excusat quidem a peccato, at nil potest conferre ad id, ut dispensatio trahatur ad casum alium, quam expressum, cum ergo solus tertius gradus sit expressus, vel sola consanguinitas, non juvabit ignorantia, ut dispensatio trahatur ad secundum gradum, vel ad affinitatem, in quibus dispensatum non est. Nec obstat *l. Barbarius*, quia aliud est supplere defectum in causa efficiente, quem quidem supplet ea lex in judicibus, ac aliis ministris publicis, quando defectus jurisdictionis erat ita occultus, ut communiter illi putarentur veri ministri. At ea lex non disponit ut concessum in uno casu censeatur in alio concedi, propter communem errorem. Non etiam obstat simile adductum de beneficio, quia in beneficii constantia non est error, sed in quodam accidenti parum conferenti ad collationem, & ideo jure optimo ea mens Pontificis esse creditur, ut ob id accidens communiter ignoratum non vitietur collatio. At in nostro casu est error in ipsamet substantia casus, in quo dispensatur.

Circa impedimentum voti an explicandum sit, si id votum sæpe repetitum sit; vel si simul est juramentum: & an si unum vinculum loco alterius falso exprimatur dicendo esse votum, cum sit juramentum, vel esse juramentum, cum sit votum, sit subreptitia dispensatio? diximus disput. 2. n. 24. & 25. Quod si id votum non nubendi sit emissum in Dei honorem, ac favorem tertii, modo quem explicui disp. 6. nu. 12. vel simile juramentum, est necessario exprimendum in dispensatione esse emilsum in tertii favorem, quia cum vergat in illius damnum, erit multo difficilioris dispensationis. At si tertius ille remitteret, qua parte ipsum tangit, non esset opus referre id in tertii favorem esse factum, cum jam favor ille remissione partis cesset. Quod si professus, esset simul ordine sacro initiatus, teneretur utrumque in dispensatione ad matrimonium exprimere, quia suht duo impedimenta, alterum ratione professionis: alterum vero ratione ordinis sacri. Nec sat esset si sacerdos, aut diaconus, petens dispensationem, explicet se in ordine sacro esse, sed tenetur se diaconum, aut sacerdotem, aut Episcopum, si talis sit, esse explicare, quia quo Ordo superior est, eo difficilior notabiliter erit dispensatio, & major causa exigetur: majorique confideratione dignum erit an expediat dispensare. Et quid, si votum iteretur postquam Pontifex commisit facultatem dispensandi, vel postquam Ordinarius dispensavit, dicam disp. 32. n. 6.

Quod si petas, qualiter dispensationem petere possit qui uxorem interimit animo ducendæ concubinæ, vel absque eo animo, nec res est occulta, quia in foro externo delatus est, & quamvis non convictus, non tamen absolutus est, sed damnatus arbitraria pœna ratione aliqualis probationis, non tamen sufficienti ad ordinariam delicti ejus pœnam. Ratio dubitandi, est, quia non potest dici impedimentum occultum, eo quod delatus est, & damnatus, & ideo non admittetur dispensatio in solo conscientiæ foro concessa, quod si velit petere in foro

externo, cum nomen petentis exprimatur, convincetur ex confessione: & pœnas delicti solvet. Dico, si absque aniſua confessione: & pœnas delicti solvet. Dico, si absque animo ducendæ concubinæ interfectio uxoris acciderit, facile posse impetrare dispensationem in foro externo, narrando sibi impedimentum opponi interfectioni uxoris, cum vere non interfecerit: ac se illam petere in foro externo satisfaciat. Nec in hoc mentitur, etiam si postea coram officiali Episcopi juret veras esse preces; quia cum juxta multo veriorem sent. machinatio absque eo animo non dirimat matrim. (ut dixi l. præc. disp. 78. n. 13.) Et quamvis impediat, jam id impedimentum & cetera impedientia, præter votum, & alia sponsalia, sint usu abolita (ut dixi eodem lib. præc. disp. 17. n. 9.) verum narrat hic impetrans: cum non occiderit quatenus est impedimentum, super quo cadat dispensatio. Quando autem eo animo interfecit, opportunum remedium erit, narrare Pontifici se de eo delicto infamatum, ac delatum in foro externo, damnatumque esse arbitraria pœna defectu plenæ probationis: & nec fateatur, nec neget delictum in ea narratione, & in sacra Pœnitentiaria petere aliam dispensationem, referendo quod in judicio fori externi propositum est, ac ibi tacitam esse delicti veritatem, ob periculum propriæ proditionis: & in hac debet impetrans fateri veritatem; quia cessat periculum: cum in hac nomen petentis non exprimatur. Nec refert utra prius dispensatio impetretur, ut dixi disp. præc. n. 7.

23 Demum superest duplex difficultas. Prior est, an in dispensationis impetratione super gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, quando contracturi distant inæqualiter a stipite, ut si alter distet in 2. & alter in 3. sit necessaria mentio gradus propinquioris, quo alter distat: an potius sit satis mentio remotioris? Quondam fuit magna controversia circa hoc, quidam enim asebant subreptitiam fore dispensationem, non facta illius gradus propinquioris mentione. Ducebantur ex *cap. Quod dilectio, de consang.* ubi decidit potestatem concessam legato ad dispensandum in certo gradu non extendi ad eum gradum, quando alter contrahentium in propinquiori distat a stipite. Item quia in dispensationibus, utpote, quæ odiosæ sunt, mistum sub simplici non comprehenditur (ut dixi disp. 2. nu. 28.) At hic gradus est mistus ex propinquiori & remotiori. Sic docent *Alex. de Nevo d. c. Quod dilectio, n. 8. Gambara de auth. legati, l. 8. t. de dispens. legatorum circa matr. n. 392. Ant. Cucus l. 5. instit. major. t. 12. n. 252. Mol. to. 1. de just. tr. 2. disp. 161. col. pen. vers. illud tamen, Borgas. de irreg. 2. p. t. De interpretatione dispensationis, n. 26.* Idque decrevit Pius IV. in quodam motu proprio.

24 Alii oppositum sentiebant. Quod is gradus minime sit mistus sed simplex. Cum is solus gradus impedimentum matr. præbeat, qui a stipite remotior est, *c. fin. de consang.* Et confirm. quia quando duo consanguinei in gradu dispari distant, intelliguntur tantum distare inter se, quantum remotior distat a communi stipite, *d. c. fin.* Ergo sicut gradus remotior trahit ad se, & imbibit proximiorem, quantum ad rationem magis distandi a primo stipite, ita eamdem imbibet, & ad se trahet, ut solius ejus ratio sit habenda in impetranda dispensatione. 2. ex *c. Quod dilectio, de consang.* juncta speciali ratione tradita a Doctoribus illius textus, quam retulimus disp. 1. n. 23. ibi enim deciditur indulgentiam legato concessam ad dispensandum in certo gradu, intelligi quando uterque contrahens distat æqualiter in eo gradu a stipite. Hujus enim rationem reddunt prædicti Doctores eo quod in eo loco sic habebat consuetudo, & ex dispensatione suboriretur scandalum. Quare contrarium aperte docent, ubi consuetudo non est contraria & attento jure, nec id scandalum sequetur. Quod si replices, hodie esse eam consuetudinem, & stylum curiæ, ut is gradus propinquior manifestetur. Respondetur id non habere stylum curiæ, quasi id necesse sit: adversaretur enim motui proprio Pii V. referendo in num. seqq. Sed id habet ad evitanda dubia, & litteras declaratorias, quas dicemus esse necessarias. Tandem, quia hoc decidit *Clemens VI. in quadam Extravag. quæ incipit Nuper, nondum typis excussa.* Et ita *hac Extravag. relata* sustinet *Calder. cons. 1. n. un. ad fi. de consang. Abb. d. c. Quod dilectio, ad fin. & ibi Præpos. n. 8. vers. Quæro Papa, Corneus cons. 201. n. 11. vol. 2. Milis in suo repert. lit. D. v. Dispens. n. 23. vers. Dispensatio quatenus, Angel. v. Matr. 3. impedim. 6. fi. Silvest. v. Matrimonium, 8. q. 6. fin. Gambara de author. legati, l. 10. n. 264. Tabiena v. Impedim. imped. 3. q. 3. n. 4. Sotus 4. d. 40. q. un. ar. 2. fi. Led. 2. p. 4. q. 56. ar. 4. fi. Toledo l. 7. sum. c. 5. n. 6. Emm. Sa sum. verb. Matr.* ubi de impedim. *n. 4. vers. Cognatio carnalis: Cannedo summa Sacram.* ubi de matrim. *cap 7. num. 42. fine.*

25 Sed jam hanc difficultatem non liberavit Pius V. in motu quodam proprio edito anno 1566. die 26. Augusti, incipienti, Sanctissimus ubi rem hanc ad jus commune pristinum reduxit, ac revocans motum proprium Pii IV. decidit non esse necessariam gradus propinquioris mentionem, sed sufficere remotioris, obtentis tamen postea litteris declaratoriis super propinquiori: nec posse litteras priores notari subreptione, vel intentionis defectu. Et ita advertunt *Probus addit. ad Monachum, rubr. de cogn spir. n. un. vers. Et quando sunt. Cov. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 10. n. 12. Anton. Cuc. l. 5. instit. major. t. 13. n. 17. Veracr. append. ad Speculſuper ar. 49. 1. p. f. 99. Gutt. cons. 18. n. 11. & q. can. l. 2. c. 15. n. 28. Enriq. l. 12. de matr. c. 3. n. 6. Ludov. Lop. 2. p. instruct.* ubi de matr. *c. 49. in imped. consang. col. 5. versic. Postremo. Manuel 1. tom. summ. in 2. edit. c. 238. n. 2. Petr. de Led. matr. q. 54. ar. 2. col. penul. concl. 2. & Sum. Sacram.* ubi de matr. *c. 27. concl. 7.*

Tenor autem harum litterarum declaratoriarum sic se habet (ut ad me pervenere datæ a Clemente VIII. anno 1599. die 13. Januar.) Narratum est Pontifici quosdam impetrasse dispensationem proponendo se tertio consanguinitatis gradu conjunctos: cum tamen essent in 2. cum tertio. Et ita Pontifex in illis litteris, sic: *Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus etiam si litteris præfatis jam tibi præsentatis, ad illarum executionem propter hoc procedere distuleris, seu recusaveris: nihilominus negotium ejusmodi reassumens, ipsasque litteras valere dicta authoritate decernens ad earumdem litterarum executionem (servata alias earum forma) procedas. Ac cum eisdem N. & N. super impedimento tertii consanguinitatis gradus ejusmodi eadem authoritate dispenses. Distantiam vero secundi gradus præfatis non obstare declares, in omnibus, ac per omnia, perinde ac si in dictis litteris ipsos secundo & tertio consanguinitatis gradibus, a communi stipite provenientibus, invicem esse conjunctos expressum fuisset.* 26

Circa quem motum proprium est 1. observandum, illum 27 de solis consanguinitatis & affinitatis gradibus loqui. Quare si petatur dispensatio in impedimento publicæ honestatis ex matr. rato, sufficiet remotioris gradus mentio, nullis litteris declaratoriis postea impetratis. Quia cum de hoc non loquatur, standum est jure communi, quo attento solam remotioris gradus mentionem sufficere probavi nu. 24. At in gradibus affinitatis ex fornicatione ortæ duplices illæ litteræ sunt necessariæ; quia motus proprius indistincte de affinitate agit. Quod intelligo, si affinitas ea sit publica, ut n. 33. dicam.

Secundo dubitari potest, cui usui litteræ illæ declaratoriæ 28 sint? Aut enim petuntur in motu proprio, tanquam conditio requisita ad valorem dispensationis, in qua solus gradus remotior expressus est. Quod denotat ablativus ille absolutus, *Obtentis tamen postea litteris declaratoriis.* Qui conditionem importat, *l. a testatore, ff. de condit. & demonst.* Aut non, sed tanquam admonitio quædam. Si priori modo: ergo dispensatio in neutro foro valebit, donec eæ litteræ impetrentur. Quippe conditio valorem actus suspendit: donec ea impleatur. Si posteriori modo. Cui ergo usui sunt litteræ illæ? *Enriq. de matr. c. 3. n. 6. in comm. lit. T. & c. 9. n. 2. in comm. litt. Z.* ait litteras eas declaratorias peti pro solo foro externo. Et satis mihi placet, quod confirm. ex sent. *Probi addit. ad Monachum, in rubr. de cogn. spir. in 6. n. un.* ubi ait eas esse necessarias, quando in foro publico dispensatio petitur, secus quando affinitas consurgit ex actu fornicario occulto. Tunc enim ait non dari has litteras declaratorias. Præterea, quia ideo dantur eæ litteræ, ut cayeatur scandalum. Quippe poterant aliqui scandali ansam sumere, videntes non esse dispensatum in gradu propinquiori: ac propterea existimantes matr. esse irritum. Ut bene docent *Gaeta cap. Ad limina 30. q. 1. §. 4. q. 134. n. 363. Petr. de Led. de matr. q. 54. ar. 2. col. penul. notab. 2.* ergo petitio earum litterarum solum forum externum respicit.

Hinc deducitur, matr. initum virtute dispensationis solo 29 gradu remotiori, expresso, nec obtentis litteris declaratoriis, fore validum. Quod magis constabit ex dicendis n. seq. At Ordinarius in foro externo recte procedens non deberet dispensare donec litteræ declaratoriæ afferrentur. Et si post initum matr. certior juridice fiat aliquo denunciante non esse expressum gradum propinquiorem, nec allatas declaratorias, deberet sic conjunctos separare, donec eas litteras afferant. Tum, ut prædictum scandalum, quod posset contingere, vitetur. Tum etiam ut satisfiat præcepto Pontificio volenti eas litteras ad eum effectum afferri.

Imo quamvis Ordinarius suo munere abutens dispensaret 30 non allatis litteris illis declaratoriis: cum tamen ex actis constaret esse ibi gradum propinquiorem & remotiorem: vel si deceptus a contrahentibus falso probantibus esse solum gradum remotiorem dispensaret, credo valere matrim. quia ea dispensatio valida fuit, nec malitia Ordinarii male exequentis, aut partis falso probantis, tollit ejus valorem. Non enim petuntur eæ litteræ ut prior dispensatio valida fiat, sed ut scandalo obvietur (ut nu. 28. diximus) Quod videtur etiam probari, quia motus proprius concludit omnia acta dispensationesque confectas, & processus habitos per dictas litteras, in quibus non expressus est gradus propinquior, minime posse subreptione, aut intentionis defectu notari. Et quamvis addat, *Obtentis tamen postea litteris declaratoriis super propinquiori;* Ablativus ille absolutus non potest conditionem importare; quia supponit actum jam perfectum, & gesta virtute priorum litterarum fuisse valida. At si conditionem importaret, suspenderet valorem actus gesti ante illius implementum.

Et tandem si nullum scandali periculum immineret, nec 31 res ad forum externum delata esset, credo eos, qui sic contraxere matr. non teneri eas litteras declaratorias afferre, cum eæ soli scandalo vitando deserviant: cujus in hoc eventum nullum prorsus subesse timorem supponimus.

Tertio observandum est, quando propinquior gradus stipiti 32 fuerit

fuerit primus, nullatenus valere dispensationem, in qua solius remotioris mentio fit. Ut si quidam velit ducere consobrinam filiam fratris sui, aut filium filii, aut nepotis fratris sui, huic contracturus distat a primo stipite in 1. gradu, & a filia fratris in primo cum secundo, a nepte fratris in primo cum tertio, a pronepte fratris in 1. cum quarto: si ergo in his eventibus solius remotioris gradus mentio fiat, non explicata distantia alterius contrahentis a stipite in primo gradu, dispensatio erit prorsus subreptitia. Et idem in affinitatis gradibus. Constat, quia Pius V. in eo motu proprio declarans litteras non posse subreptione notari, defectu expressionis gradus propinquioris consanguinitatis, vel affinitatis addidit: *Dummodo primum quoque modo attingat. Cum in eo sanctitas sua nunquam dispensare intendat.* Et ita docet *Petr. de Led. de matr. q. 54. ar. 2. col. pen. notab.* 1 Qui bene addit hoc intelligi, dummodo alter, qui est in gradu remotiori, sit intra 4. gradum. Nam si extra illum sit, nulla est necessaria dispensatio: ut probavi l. præc disp. 53. n. 5.

33 Hinc deducitur, quando petitur dispensatio in solo foro conscientiæ affinitatis ex occulta copula fornicaria, valere illam, quamvis gradus propinquioris mentio non fiat, dummodo non sit primus: nec esse necessarias litteras declaratorias, constat ex dictis n. 28. ubi & Probum id afferentem retuli.

34 Secundo deducitur, eum, cui conceditur potestas dispensandi in aliquo gradu, posse in eo dispensare, quamvis mistus sit ex alio propinquiori. Quia is gradus vere non est mistus, sed simplex (ut n. 24. probavi) Et ita docent *Angelus v. Matrim. 3. impedim. 6. fin. Silvest. v. Matr. 8. q. 6. fin. Toledo lib. 7. sum. c. 5. n. 6.* Quod tamen limito, nisi alter eorum distaret a stipite in primo gradu. Propter verba motus proprii Pii V. relata n. 32. dicentis, nunquam Pontificis mentem esse dispensare in hoc casu, nisi exprimatur.

35 Tertio deducitur intellectus ad privilegium Pauli III. qui (ut refert *Veracr. 1. p. Spec. ar. 44. pag. 3. concl. 3.*) concessit Indis novi orbis, ut possint in tertio & quarto gradu matrimonii conjungi. Potuerunt enim sic conjungi, licet alter in 2. vel in 1. gradu distet. Quia licet dispensatio sit stricti juris, debet recipere interpretationem a jure communi (ut probavi disput. 1. n. 8.) quando versatur circa juris communis materiam. At attento jure communi distantia gradium computatur juxta remotiorem, & ille imbibit & trahit ad se propinquiorem (ut probavi hac disp. n. 24.) Sic docent *Veracr. eod. ar. 44. p. 4. vers. Respondetur ex mente Barth. a Led. de matr. dub. 36. col. pen. vers. Et annotato.* Quod si objicias, hoc videri contra dicta n. 32. & n. 1. præced. ubi docui non esse Pontificis mentem dispensare, quando alter ex contracturis distat a stipite in 1. gradu. Sed respondetur non advertari, imo consonum esse, quod (ut dixi eo n. 32. fine) quando alter contrahens extra 4. gradum est, etsi alter sit in 1. nulla est necessaria dispensatio. Cum ergo Paulus III. respectu Indorum hos gradus restrinxerit ad 2. quando alter distat ultra 2. gradum cum jam sit extra gradus vetitos, licet alter distet in primo, non erit necessaria dispensatio. Intelligitur autem hoc privilegium de solis Indis neophytis novi orbis: ut docet *Veracruz eod. tit. ar. 44. pag. 3. concl. 3.* Insuper id privilegium est tam de gradibus consanguinitatis, quam affinitatis: ut docent *Veracruz ibid. Vega 2. t. sum. c. 34. casu 126. fine* Demum per novum orbem intelliguntur omnes provinciæ Indorum: ut docet *ibidem Veracruz.*

36 Posterior difficultas est. An quando impedimentum affinitatis & publicæ honestatis concurrunt, satis sit affinitatis mentio, tacita publica honestate? V. G. quisquam vult ducere consanguineam intra quartum gradum prioris uxoris a se cognitæ, habet impedimentum publicæ honestatis ortum ex matr. cum consanguinea hujus prius inito, & affinitatis ortum ex illius matr. consummatione: dubitatur ergo an in dispensationis impetratione ad ducendam eam feminam, satis sit affinitatem narrare? Triplex est sent. I. sustinet satis esse mentionem affinitatis fieri. Ducitur, quod mentio affinitatis facta absolute, intelligatur de orta ex copula conjugali, eo quod in dubio non debet præsumi delictum, *l. Merito, ff. pro socio.* Et quia etiam in odiosis sunt intelligenda verba in potentiori significato: ut constat ex *c. penult. de sent. excom.* intelligi majorem. Potissimum autem affinitatis significatum est, affinitas ex copula licita consurgens. At sub affinitate hac comprehenditur necessario publica honestas. Ergo facta absoluta affinitatis mentione satis exprimitur utrumque impedimentum: ac proinde valebit dispensatio. 2. quia verba dispensationis sunt intelligenda sicut verba juris communis. At sublato per jus commune impedimento affinitatis, id intelligitur de omni affinitate: & consequenter censetur ablata publica honestas: ut tradunt *Glossa c. Non debet, v. In secundo, de consang. & ibi Ant. n. 19.* & reliqui scribentes. Ergo sublata per dispensationem affinitas, intelligitur de omni, & censebitur quoque ablata publica honestas. Et ideo hujus sent. sunt *Milis in suo repert. lit. D. nu. 23. ver. Dispensatio, vers. Dispensatio facta super impedimento.* Et citato *Guillel. de S. Lauduno in suo Sacramentali, ad fi. Felinus c. Postulasti, nu. 13. limit. 7. fin. de reser. Ripa responso 11. ad fin. de reser. Hieron. Paulus in practi. cancellar. Apostol. 1. Notabilia super dispensationibus matrimonialibus, in fine, & Bocrius decis. 264. nu. 28.* refert pro hac parte, & videtur eum sequi, *Glossatorem regulæ Cancellariæ 47.* & ait se ita vidisse obtentum bis in judicio. Idem tenent *Cov. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 7. nu. 5. Anton. Cuc. l. 3. instit. t. 12. nu. 250. Azevedo l. 8. Recop. t. 20. lib. 7. n. 27. Veracruz 1. p. Speculi, art. 44. pag. 5. in fine primi dubii.* Et est satis probabilis ac tuta.

II. Sent. tenet subreptitiam fore dispensationem, nisi de 37 publica honestate mentio quoque fiat. Probat, quia si explicetur affinitas ex copula licita, quamvis ex ea quoque publica honestas consurgat; at cum minime ea expressa sit, dispensatio, utpote odiosa ac stricti juris, ad eam non extendetur. Et a fortiori, si sola affinitas in genere explicetur. Cum enim possit esse ex matr. & sic conjuncta cum publica honestate, & ex fornicatione, & sic absque illa, ex quo simpliciter expressa est, intelligitur de simplici, & non de mista cum publica honestate. Quia in materia dispensationis odiosa, ac stricti juris, verba, quæ possunt intelligi in significato potentiori, & in minori, semper intelliguntur in minori, *c. fi. de præb. c. Cum in illis, in 1. resp. & c. Quamvis, eod. tit. in 6.* Hanc tenent *Domin. cons. 33. nu. 8. & alii.* Et favet *Jo: Andr. in arbore affinit. 5. Ad arborem affinit. n. 5.* (habetur 9. tom. tract.) ubi absolute ait non valere dispensationem, nisi utriusque impedimenti mentio fiat. Favet etiam *Enriq. l. 7. de indulg. c. 30. n. 2. fine,* ubi ait dispensationem in affinitate non extendi ad publicam honestatem.

III. Sent. (cui tanquam probabiliori adhæreo) sic di- 38 stinguit: Si explicetur affinitas ex copula licita proveniens, ut petendo dispensationem ad consanguineam uxoris ducendam, valebit: etsi publica honestas taceatur. Quia tacite illius mentio fit, utpote, quæ in tali affinitate necessario includitur. Secus facta solius affinitatis in genere mentione. Quia tunc nec tacite, nec expresse fit publicæ honestatis mentio. Cum ea affinitas tam de licita, quæ publicæ honestati conjungitur, quam de illicita, quæ sine illa est, possit intelligi. Et in materia hac odiosa sunt verba in minori significatione accipienda (ut nu. præcedent. dictum est). Adde dispensationem, si aliquid operari possit, esse stricte intelligendam ne amplius operetur, (ut dixi disp. 1. num. 7.) Cum ergo ea dispensatio operetur in affinitate, non porrigi debet ad publicam quoque honestatem. Et ideo hujus sent. sunt *Abbas c. Non debet, num. 12. de consang. & ibi Alex. de Nevo nu. 11. Præpos. num. 18. Brunell. de spons. concl. 26. nu. 3. Rosella v. Impedimentum, imped. 13. nu. 2. Angelus verb. Dispensatio, n. 19.* ubi *Silvest. q. 5. num. 9. & v. Matrimonium 8. q. 14. dub. 3. Tabiena v. Impedimentum, imped. 11. ad fi. Loazes de matrim. Regis Angliæ, dub. 10. nu. 31. 32. Gambara de auctorit. legati, l. 10. nu. 243. Steph. Cossa tr. de affin §. Quia inter impedimenta, nu. 3.* (habetur tom. 9. tr.) *Nav. l. 4. consult. de consang. in 1. edit. cons. 4. n. 1. in 2. cons. 7. n. 1. Gaeta c. ad limina, 30. qu. 1. §. 4. q. 203. nu. 488.* Et ex Theologis, *Supplement. Gabr. 4. d. 41. q. un. a. 3. dub. 7. Toledo l. 7. sum. c. 11. n. 6. Petr. de Led. de matr. q. 56. a. ult. dub. 2. diffic. 3. corol. 6.* & melius *q. 55. a. 4. ad fi. & sum. Sacram.* ubi de matr. *c. 27. post 6. concl. diffic. 2. Lud. Lopez 2. p. instruct.* ubi de matr. *c. 50. col. 4. v. Advertendum est insuper.* Et hujus sententiæ licet subobscure videtur *Enriq. l. 12. de matr. c. 10. n. 3.*

Hinc deducitur, petitam dispensationem affinitatis in ter- 39 tio vel 4. gradu valere, quamvis non explicetur an ex copula licita oriatur, nec publica honestas. Quia cum ex sola conjugali copula oriatur in his gradibus affinitas, exprimitur virtutem eam ex copula conjugali oriri: ac subinde tacite quoque declaratur publica honestas.

Secundo deducitur, an petitione dispensationis affinitatis 40 in 1. vel 2. gradu, si ex copula conjugali oriatur, esse necessario narrandum eam ex copula conjugali consurgere. Si sustineamus nostram sententiam relatam nu. 38. Quia duplex tunc oritur impedimentum, nempe affinitatis & publicæ honestatis: & tacitum est hoc. Imo nec sufficeret mentio affinitatis in genere, & publicæ honestatis in genere. Quia cum publica honestas oriatur quoque ex sponsalibus, non explicatur an ex matr. orta sit. Cum tamen id esse necessarium probavimus nu. 16. Item quia non explicatur an affinitas ex matr. orta sit. Cum tamen id sit necessarium. Quia est multo fortius vinculum affinitatis ortæ ex fornicatione. Si tamen sustineamus 1. sent. relatam nu. 36. satis esset mentionem affinitatis in genere facere. Quia ea intelligitur de orta ex copula licita, & sic tacite explicatur publica honestas: ut ibi latius probatum est.

Ultimo deducitur, in potestate dispensandi in affinitate in- 41 cludi quoque publicam honestatem cum illa concurrentem. Dicor, quod cum affinitas genus sit ad ortam ex copula licita & illicita, & potestas dispensandi sit late interpretanda, ad utramque extendetur. Quamvis dispensatio ipsa, quæ stricti juris est, de sola minori affinitate intelligatur (ut dixi n. 37.) Sicut nu. 5. & 9. diximus potestatem dispensandi in aliquo gradu extendi ad eum duplicatum ex utroque latere: secus de ipsa dispensatione. Cum ergo ea dispensandi in affinitate potestas claudat quoque affinitatem ex copula conjugali, cui necessario conjuncta est publica honestas, extendetur quoque ad publicam honestatem, imo ad hanc extendetur, quamvis sine affinitate sit. Ut si ex solo matr. rato vel ex solis sponsalibus orta sit. Quia eo ipso quod datur facultas ad affinitatem ex copula licita; apponitur præcessisse sponsalia, & matr. ratum, indeque productum publicæ honestatis impedimentum: & sic facultas illa ad hoc quoque extenditur. Adde, publicam honestatem non oriri ex matr.